IVRISPRVDENTIAM, NEDVM CONSTARE RATIONE, SED ESSE SCIENTIAM PROPRIE DICTAM CONTRA CALVMNIAS ANGELI

Thii, & Iacobi Zabarellæ Philosophiæ Doctorum, cum luculenta principiorum iuris, eiusdemque finis materiæ atque formæ deductione, longe aliter, quam vllus interpretum hactenus fecerit, instituta.

PANDECTIS ITEM ET CODICI suum constare, ordinem, illumque resolutiuum esse, quo finis ad sua principia reuocetur, contra omnes fere interpretes.

CVM

COMMENTARIIS IN ETHICAM & Politicam Aristotelis,

AVCTORE


CLARISSIMO VIRO PETRO GILKENIO, I. V. D.

& in florentissima Ducatus Franconiæ VVirceburgensis ciuitatis Academia Codicis ordinario Professore & Principi a consiliis.









FRANCOFVRTI

PROSTAT IN PALTHENIANO.

ANNO CIↄIↄCV.



SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPI, AC DN. DN. MAXIMILIANO, COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQVE Bauariæ Duci,&c. Principi ac Domino suo Clementissimo.

CVm serenissime Dux, Princeps illustrissime, in omnibus bene atque ordine institutis Academiis, ita comparatum esse videamus, vt præter humaniores literas, tres sublimioris disciplinæ, facultates florere, & supremum dignitatis locum obtinere soleant, ita vt Philosophia tanquam media, accommodatis periti ducis partibus, eodem viam sternere & munire consueuerit, & hoc laudis, atque subsidii reliquæ facultates huic scientiæ libenter accepto ferant: tamen imperita, vel maligna quorundam

)(2

interprerat:one, vnam Iuriſprudentiam ex hoc numero ſubmoueri, non ſine graui reipublicæ literariæ incommodo, animaduertere eſt. Nonnulli enim adoleſcentes propriis ingenii viribus confiſi, atque ineptam, & temerariam quorundam opinionem ſecuti, ipſam Philoſophiam, tanquam a Iuriſprudentiæ cognitione alienam, aut parum momenti ad eius illuſtrationem facientem, ab ipſis Rhetoricæ atque Dialectices cunabilis, legali diſciplinæ nomen ſuum dare non dubitant. Quod cum abſurdum ſit, tum longe abſurdior inepta illorum perſuaſio iudicari debet, qui ipſam iuriſprudentiam, tanquam veræ & propriæ ſcientiæ nomine deſtitutam, tam expeditæ interpretationis eſſe arbitrantur, vt nudis Philoſophiæ præceptis, perfunctorie inſtructi, ſe eiuſdem beneficio quæuis legalis doctrinæ arcana inueſtigare, & omnes tam vaſti pelagi fluctus, ſine peculiari gubernatore, ſuperare poſſe conſtituant.

Quamuis itaque ipſa Iuriſprudentia, quæ non vnius hominis induſtria, ſed tot ſeculorum ingeniis, lucubrationibus, & experientiæ debea-

tur recte, & cum iudicio considerata, se facile ab huiusmodi labe vindicet, & vtrosque in ipso rerum conatu erroris conuincat, tamen me nō abs re facturum esse existimaui, si in gratiam studiosæ iuuentutis, & ad tollendam tam ineptam persuasionem, exhaustos in adolescentia labores reuisens, præcipua Aristotelis præcepta ad leges & constitutiones Imperatorum exigerem, & nihil aut parum discordiæ inter hæc studia esse, sed mutuo auxilio illustrari posse & debere ostenderē. Scripsi itaque commentaria in librum quintum Ethicorum, quibus singula capita suis legibus & exemplis, ita ornarentur, vt imperialis maiestatis auctoritas, quæ in huiusmodi præceptis desiderari videbatur, non intempestiue accommodata intelligatur. Eodē consilio politica præcepta cum nostris institutis comparaui, paratus totis libris, & in singulis capitibus illud facere, si cum eodem fructu & studiosorum vtilitate, deinde etiā materiæ coniunctione illud licuisset. Cogitanti igitur cui has lucubrationes potissimum dedic[illegible]em, ex omnibus Germaniæ Principibus, n[illegible]

rit, cui easdem propensiori animo, quam S.S. destinare possem, quod plurima illustrissimæ domus Bauaricæ, in meam familiam exstarent beneficia, simul etiam memoria repeterem, quam benigne ad professionem Ingolstadianam, superioribus annis, inuitatus essem. Terrebat tamen me operis consideratio, quam infra maiestatem tanti Principis esse animaduerterem: & anceps quorundam iudicium, quod omissa iuris interpretatione, tanquã mihi diffidens aliena a persona, quã ustinerem, consectari viderer. Erexit me rursum singularis, & toto in Christiano nomine depradicata. V.S. beneuolentia, & propensa erga omnes doctorum virorum conatus, affectio, quodq; suscepta Codicis Iustinianei enarratione, quæ suo tẽpore publicum acceptura esset, eadem proximis Francofordianis nundinis me a parum liberali suspicione asserere, & otii mei rationem omnibus exhibere posset. Spero itaque, imo plane confido, eandem S.S. interea nõ recusaturam, quin sub auctoritate eiusdem nominis acquiescere, & me ab eorum morsibus, qui etiam consummatissima

quæque

quæque depeculari solent, munire atq; defendere possim. Precor itaq; omnis boni fontem & parentem Deum, vt V. S. rebus omnibus florentem in Nestoreos annos conseruare, simul etiam præclara, & reipublicæ summo bono destinata consilia, & conatus ita tueri, ornare, & prouehere velit, vt scopum, cui definita sunt, cum summa felicitate parentium attingere, & optato euentu confirmare queant. Datæ Wircepurgi die 23. Martii, Anno 1605.

V. S.

Obsequentissimus & ad imperata paratissimus,

Petrus Gilkenius.




AD LECTOREM CIRCA QVÆSTIONEM, AN IVRISPRVDENTIA SIT SCIENTIA.



I cui fortasse videor, integerrime lector, paulo durius & asperius cum Iacobo Zabarella, & Angelo Thio non contemnendis Philosophiæ doctoribus, in prosecutione eius, quę in medio posita est, controuersiæ agere vel conflictari, is constituere secum debet, hanc labem non mihi, sed illis, qui tam absurdæ assertionis sese duces, & antesignanos præbuerunt, adscribendam esse. Quod sane tanto intolerabilius iudicari debet, quod ab eo, qui se sapientiæ & Philosophiæ antecessores profiteantur, non solum eruditionis, sed etiam prudentiæ & modestiæ fructus requiramus. Cum itaque, ruptis omnibus verecundiæ habenis, citra delectum atq; iudicium ea de ipsa iurisprudentia pronuntiare sustineant, quæ alienissima ab illa disciplina sint, quæ non vnius hominis, vt Aristotelis ingenio, sed tot illustrium, & summa eruditionis laude excellentium virorum, qui tot seculis, etiam ante seruatoris nostri natiuitatem repetitis, floruerunt, industriæ atque vigiliis, deinde etiam quotidianæ, in tanta naturæ varie-

varietate infinitorum annorum & casuum experientiæ debeatur; non alienum videri debet, si pro asserenda tam sublimis scientiæ dignitate, quæ per calumniam & maledicendi studio ab iisdem in iurisprudentiam torqueantur, admoto iustæ defensionis & cõparationis lumine, ordine refellerem, vt alii deposita, sublimiores scientias cauillandi, licentia, inter modestiæ fines sese continere, & credulæ iuuentuti nullam, de tam salutari, & in curandis reipublicæ vulneribus plane necessaria disciplina, minus commode sentiendi, occasionem præbere possint. Vale. Datæ Wirceburgi die 18. Martii, Anno 1605.

)(?(



Ad Lectorem. De iuris ordine.



NIMADVERTO, optatiſſime Lector, plurimos Legalis ſcientiæ interpretes, partim iniuria temporis, quod probatorum auctorum ſcripta, & ipſa Philoſophiæ præcepta, culpa eorũ, qui iuuentuté regerent, adoleſcentibus non traderentur; partim etiam rei difficultate permotos, de ſerie, qua ea, quæ in Inſtitutionibus, Pandectis & Codice tradita ſunt, cohærerent, & ad vnum, eundemque ſummum finem, aut contra ad prima iuris capita reuocarentur, non multum laboraſſe; imo nonnullos eo impudentiæ prouectos, vt Pandectis & Codici nullum ordinem conſtare dicerent. Cum itaque ad dignitatem, auctoritatem, & euidentiorem cognitionem tam excellentis ſcientiæ plurimum referret, vt, deterſa huius opinionis labe, longe aliter ſe rẽ habere, oſtenderẽ, operę pretium eſſe exiſtimaui, vt cõpendioſo hoc tractatu, qui ab aliis noſtris lucubrationibus ſepararetur, verum iuris noſtri ordinem, quo reſolutiua ratione vltimus atque ſummus iuriſprudentiæ finis ad ſua principia reuocaretur, quique noſtris iuriſconſultis, & Pandectarum atq; Codicis conſarcinatoribus ſemper cordi fuerit, ob oculos proponerem, quod ſane Franciſcus Picolomineus, lumen & ornamem-

namentum Philosophiæ interpretum, præclari ingenii atq; ad illustrationem disciplinę cuiusque, maxime vero huius legalis scientiæ, admodum necessarium esse existimauit, cum profecto in tam vasto iuris nostri pelago, conueniens methodus, qua tanquam filo Ariadnes ducti, rectum, incumbentibus ventis, & graui quæstionum mole, cursum tueri, & optatum nacti portum, in tranquillo consistere, & quem expetebamus fructum referre possimus, exigēda videatur. Qui meus conatns, si candidissime Lector, fauore & iudicio tuo prouehetur, aliis quoq; ansam suppeditare poterit, vt, quod nos in tanta verborum paucitate aggressi sumus, illi iustis commentariis, accuratius & fœlicius consequantur, Vale. Die 18. Martii Anno 1605.



AN IVRISPRVDENTIA SIT SCIENTIA; QVA IN RE EXPENDVNTVR OBIECTIONES ANGELI THII, IACOBI ZABARELLÆ, Philosophiæ Doctorum, nec non argumenta Angeli Matheacii, subtilissimi iuris interpretis, & Patauinæ Academiæ primarii professoris.

SVMMARIA.



1 *Vctores qui iurisprudentiam contendunt esse scientiam proprie dictam.*

2 *Vndecim argumenta Chassanei per quæ id probare conatur.*

3 *Contraria sententia Angeli Thij, siue calumniosa in legistas (vt vocat) destomachatio.*

4 *Parum syncerum iudicium Iacobi Zabarellæ, qui neget iurisprudentiam mereri vt scientia, prudentia, aut ars appelletur, quod non constet ratione.*

5 *Dictum Ciceronis quem triduo posse euadere in iurisconsultum.*

6 *Censura Angeli Matheacij.*

7 *Non esse distinguenda nomine, quæ eundem effectum habent.*

8 *Obseruandum quid peritiores ex professo senserint.*

9 Quorum sit decidere quæ facultas scientia vocari possit.
10 Cui non conuenit definitio, eidem definitum conuenire non potest.
11 Scientiam non esse de his, quæ aliter se habere possunt.
12 Scientiam esse habitum per demonstrationem adquisitum.
13 Iurisconsultos rem per caussas non decidere.
14 Leges non probare subtilitatem.
15 Quod in legibus pro ratione voluntas sufficiat.
16 Interesse inter opinionem & scientiam.
17 Omnem scientiam requirere subiectum adæquatum.
18 Responsio auctoris ad calumnias Angeli Thij.
19 An philosophis Aristotelis doctrinam sequentibus res diuinæ, iurisperitis autem res humanæ, pro subiecto adscribendæ sint.
20 Circa quæ iurisprudentia versetur.
21 An iurisperiti vita speculatiua careant.
22 An in scientia practica nulla speculatio versetur.
23 Differentia inter scientias practicas & speculatiuas.
24 An iurisconsulti inter illos, de quibus Angelus Thius, recensendi sint.
25 Cæcum de coloribus non recte iudicare.
26 Cur Zabarella in iurisconsultos se tam malignum & contumeliosum præbuerit.
27 Maledicendi studium a candido professore alienissimum esse debere.
28 Omnes leges a ratione pendere.
29 Rationem esse tacitam legem, dispositionem legis augere, & minuere, mentem & voluntatem earum complecti.
30 Veritatis oculata fides magis quam per aures hominibus infigitur.
31 Unde & a quibus auctoribus iuris primordia fluxerint.
32 Collatio legum cum doctrina Aristotelis.
33 Quo consilio auctor celeberrima Aristotelis pronuntiata ex diuersis libris desumta, ad legum & iurisconsultorum responsa exegerit.
34 Infinitas esse quæstiones, quibus Aristoteles & alii philosophi manum admouere non potuerint.
35 Rudem iuuentutem illis potius adsuefaciendam, quæ cum ratione coniuncta, auctoritatem publicam habent, quam quæ illa careant.
36 Forma iurisiurandi quæ exigitur a professoribus, aduocatis, iudicibus.
37 Omnem doctrinam & disciplinam discursiuam ex praeuia cognitione existere.

38 Co-

38 *Cognitis rerum primordiis & caussis ad veriorem eius intellectum peruenimus.*
39 *Ipsum vniuersale, per id, quod manifestum sit particulare, colligi.*
40 *Scire est rem per caussam cognoscere.*
41 *Scire leges non est verba tenere, sed illarum vim & potestatem.*
42 *Propter quod vnumquodq; tale est, illud magis est.*
43 *Non esse procedendum in infinitum.*
44 *Quæ inuicem se consequuntur in circulo probationem recipiunt.*
45 *Quoties oratio sumitur ex vniuerso, si aliquid inde falsum sit, hoc totam orationem falsam efficit.*
46 *In scientijs quædam principia sunt communia, quædam propria.*
47 *Duo contradictoria non posse esse simul vera.*
48 *Si est mutuum, ergo fit de meo tuum.*
49 *Definitio conuertitur cum suo definito.*
50 *Posita specie genus ponitur, non contra.*
51 *Forma dat esse rei.*
52 *Sine materia nihil constitui potest.*
53 *Nedum Topicorum, sed omnia dialectices præcepta, ex iurisprudẽtia hauriri posse.*
54 *Quæ principia cum theologis & philosophia morali communia videantur.*
55 *Finem cum principiis temere confundendum non esse.*
56 *An mala & noxia fugere, bona & salutaria amplecti, sint iuris principia.*
57 *Sententia Hopperi Frisii.*
58 *Propriam formam cuiusq; scientiæ principia generalia determinare.*
59 *Duo iuris principia, lex atq; æquitas.*
60 *Qua ratione iuris principia a caussa philosophiæ separentur.*
61 *Responsa philosophorum legibus cedere, & quare.*
62 *Legislatoribus longe præstantiorem finem propositum esse quam philosophis.*
63 *Caussæ, ex quibus multa præscripta philosophorum ad moderationem reipublicæ christianæ transferri non possunt.*
64 *An quædam principia iuris cum theologis communia sint.*
65 *Certam theologiæ partem iurisprudentiæ subesse, & quomodo.*
66 *Christianis legislatoribus animæ salutem semper propositam fuisse.*
67 *Felicem reipublicæ statum cum animæ salute coniungi.*

68 *Contractiora iuris ciuilis principia.*

69 *Error iuuentutis, quæ ethica & politica præcepta in enarratione iurisprudentiæ, nihil lucis adferre existimat.*

70 *Omnem artem, omnemq; doctrinam, actum, electionem, bonum aliquod appetere, idq; exemplis illustratum.*

71 *Illos fines, qui magis subeant rationem architecturæ, magis esse expetibiles.*

72 *Omnia ad Deum tanquam fontem & parentem referenda esse.*

73 *Ciuilem facultatem, quam maxime rationem architecturæ, subire.*

74 *Potestas & officia vtriusq; iuris.*

75 *An recte Iacobus Zabarella iurisprudentiam, a ciuili facultate, separarit.*

76 *Quomodo facultas rei militaris, item, rei familiaris iurisprudentiæ subesse dicatur.*

77 *Quæ ducis sint officia, & quæ forma disciplinæ.*

78 *Quæ partes a tribunis requirantur.*

79 *Multa salutaria præcepta Imperatoris Maximiliani, & Caroli iure militari.*

80 *Omnis honesta ratio augendæ rei familiaris iure laudatur, & ex caussa etiam præscribitur.*

81 *Diuersam caussam esse oratoris, clienti operam accommodantis, quam eius, qui sepositis affectibus iudicio quid pronuntiarit.*

82 *Iurisprudentiæ encomium ex Cicerone.*

83 *Quæ in perfecto oratore requirat Cicero, item Quintilianus.*

84 *Quantum discriminis interluceat, inter rudem & impolitam iuris disciplinam, quæ tempore Ciceronis fuerit comparatione facta cum iurisprudentia Iustiniani nomine publicata.*

85 *Formulas cautionum, quibus veteres vtebantur iure ciuili sublatas esse.*

86 *Quæ partes in iuris interprete requirantur.*

87 *Partem toto, & finem inferiorem scopo, cui destinatur, concedere.*

88 *Emendate loquendi rationem in legibus minime desiderari.*

89 *Inconcinnas commentationes & translationes scriptis Aristotelis nullam labem aspergere.*

90 *Encomia Platonis de ciuili scientia loquentis.*

91 *Præconia Demosthenis.*

92 *Laudes iurisprudentiæ ex Chrysippo.*

93 *Absurdum, quod quis a principe sua scientia diffideat.*

4 Inco

94 *Incogitantia illorum, qui statuant non adeo magnæ sapientiæ esse iura nosse, auctore Aristotele reprehensa.*
95 *Falsa Platonis citatio syncero philosopho indigna.*
96 *Verba Platonis longe aliter pronuntiantis, quam Zabarella ipsi adscripserit.*
97 *Eximia Platonis censura de legibus.*
98 *Declaratio Platonis.*
99 *Aristotelis parum syncera allegatio, qui & ipse contrarium definiat.*
100 *Quæ legibus aperte definiri possunt, iudicis arbitrio relinquenda non esse.*
101 *Quid differentia sit inter ciuilem facultatem, legislatoriam, & iudiciariam.*
102 *Ad perfectionem iurisprudentiæ multorum seculorum seriem, & rerum experientiam plurimum contulisse.*
103 *Caussa, quod politica præcepta omnia commode deflecti non possint ad iurisprudentiam.*
104 *Iura non accommodari ad illa, quæ rarius accidunt.*
105 *An sola iudiciaria facultas legibus contineatur.*
106 *Circa quas personas & caussas leges sint occupatæ.*
107 *Violatio, qua pronuntiatum Ciceron. contrario ipsius testimonio refellitur.*
108 *Dictum Catonis in Ciceronem.*
109 *Quantum intersit vtrum quis quæstiones iuris obiter, an vero accurate, & cum iudicio tractentur.*
110 *Dictum Milonis in Ciceronem.*
111 *Inter orationes Demosthenis quæ omnium videatur ornatissima.*
112 *Multas esse scientias, quæ tamen peculiare nomen habeant.*
113 *Scientiæ nomen & generis & speciei significationem recipere.*
114 *Genus de omnibus suis speciebus proprie dici.*
115 *Prudentiæ definitio secundum Stoicos.*
116 *Definitio Speusippi.*
117 *Quid intersit inter prudentiam, quam describit Aristoteles, & iurisprudentiam, quæ auctoritate Iustiniani promulgata publice in scholis legitur.*
118 *Necessaria quædam dici ex ordine naturæ, quædam ex positione.*
119 *Multa iuris responsa ex dispositione naturæ profluentia.*
120 *Ex positione quædam nobis tam certa esse debent, quemadmodum illa, quæ ex naturæ ordine proficiscuntur, idque variis exemplis illustratum.*
121 *Omnes regulas & dispositiones ex mente legum intelligendas esse.*

Consti-


ONSTITVVNT hanc facultatem, de qua quærimus, scientiam dici † Corasius de iuris arte *lib. 1. cap. 14.* Ioachimus Hopperus *in tract. de art. iuris. cap. 1.* Chassaneus *in catalogo gloriæ mundi, decima parte, consid. 18. versiculo in contrarium tamen*, & infiniti alii, quos apud eundem Neuisanum, *in sua sylua nuptiali lib. 5. n. 76. & seq.* item Albericum & alios interpretes initio suorum commentar. videre licet. 1
Quam in rem, idem Chassaneus, eodem loci pro asserenda hac ipsa sententia, vndecim argumenta ordine contexit, quæ etiam, ne de alieno labore quidquam temere mihi adscribere videar, & quod nonnulla in ea conditione sint, vt meo iudicio non recte colligant, aut subsumant, de verbo ad verbum subiicio.

PRIMO, per tex. *in † proœm. ff.* circa principium in verbis: *professores legitimæ scientiæ constitutos*, & ibi: *prima vestigia cuiusq; sciẽtiæ mediocriter tradentes, & in quarta colum.* ibi, *& hi, qui rudes adhuc legitimæ scientiæ capessendæ aspirant, & in penult. colum.* ibi, *nihil legitimæ scientiæ eis deerit. & ibi, hæc sola scientia fidem habet mirabilem.* 2

SECVNDO, probatur per tex. *in l. 1. ff. de iust. & iur. ibi, ius est ars boni & æqui, & ibi, æqui & iniqui notitiam profitemur; & ibi, æquũ ab iniquo separantes, & licitũ ab illicito discernẽtes.* Nam si ius est ars: *vt ibi, & in proœmio ff. in penul. colum.* ergo est cognitio, quoniam *vt dicit philosophus primo posteriorum:* Omnis ars & doctrina fit ex præexsistenti cognitione, sicut contingit in iure, cũ in eo distinguamus æquũ ab iniquo; quæ distinctio fieri non potest sine cognitione, & nõ potest capi ars, nisi ꝓ habitu scientifico.

TERTIO, probatur per text. cum gloss. *in l. 1. C. de studijs liberal. lib. 1.* dum ibi, iurisperiti & medici dicuntur esse philosophi veri, profundioris scientiæ & doctrinæ.

QVARTO probatur: quia leges habent rationem, & caussam, ideo eã doctores, & præsertim legentes, semper inuestigant, quærentes de ratione dubitandi: Itẽ de ratione decidendi. De ratione dubitandi: quia lex non fit nisi in casu dubio, *l. Labeo. ff. de Ædil. edicto l. antiqua. C. de furtis.* In claris n. non opus est labore *l. continuus. §. illud. ff. de verb. ob.* Item q̃a de singulis dubitare non est inutile, *vt in prædicam. Arist. & per gl. in l. 3. C. de sum. Trin. & fid. cath.* De ratione decidendi, vt intelligatur, quod est cum ratione facta, sicuti esse debet, *4. dist. c. erit autem lex.* Et sic multis aliis omissis, constat ex his ius ciuile esse veram scientiam.

QVINTO, quia conftat, quod non folum eft fcientia practica, fed etiam fpeculatiua. Quoniam oportet prudentem iuris foluere nodos, quæftiones & controuerfias, quæ nunquam etiam contigerunt, quod non poteft fieri nifi per fubtiles indagationes & per fpeculationem. Quo fit, vt quia fubtiliter indagandum eft, & incedendum per argumenta, rationes, & fimilia, & aliis variis modis *fecundum regulas iuris*, quas decet habere. Nota, quod deteftandi funt illi, qui tantummodo (*vt funt multi*) vtuntur temeritate, pro fcientia, contra textum *in l. quifquis. C. de poftulando*, vel, qui tantummodo vadunt per repertoria, & qui nihil valentes a fe ipfis cogitare, timent confulere, vel pronuntiare, quoniam id a doctoribus non reperiunt tactum, & hoc, licet adfit bona ratio, vel bonum fimile, fed male, quia vt etiam inquit Paul. de Caft. *in l. Clodius. ff. de adq. hered.* perniciofus eft talis timor, & miferrimus eft talis intellectus. Miferrimi enim eft ingenii vti inuentis, & non inueniendis, dicit Boetius *de difciplina fcholarium*, & dicit Felin. *in cap. cum ordinem. in 4. col. extr. de refcript.* Quod expedire confultationes per regulas generales, eft officium procuratorum, & eorum doctorum, quos vulgus *pofitiuos* appellat, & propterea etiam rationibus innitendum eft. *vt dicit tex. in l. 2. § fed quia. C. de vet. iur. enuc. & in proœm. 6.* Natura femper nouas deproperat edere formas. Et quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, *l. diuus. ff. de reft. in integ.* Et quia cum plura fint negotia, quam vocabula, non poffunt omnes articuli figillatim decidi, fed debet procedi per rationes, & fimilia, *vt l. non poffunt. ff. de legib.* Imo quod plus eft, eft certiffima fcientia, quia habet finem, quem non habent aliæ fcientiæ, *vt fupra dixi, & habetur in proœmio. ff. col. pen.* habetq; certiffimas rationes, cauffas, & demonftrationes, vt peritis notum eft, fed vt dicit Phil. *in primo de anima.* vna fcientia dicitur nobilior altera, vel a fubiecto nobiliori, vel quia eft certior, vel propter vtrumque fimul. Et de fubiecto nobiliori dicam ampliffime *in duab fequentib. confiderationibus.*

SEXTO, imo non folum eft fcientia fimplex, fed inter alias digniffima. Cum fit diuinarum atque humanarum rerum notitia, iufti atq; iniufti fcientia, *authore Chryfippo, vt l. iuftitia. ff. de iuft. & iur. & Inft. eod. tit. in princip.* quæ eft illius diffinitio, a qua non eft recedendum, quia fecundum philofophum *7. Metaphyf.* diffinitio eft fermo indicans quid, eft effe rei per effentialia, & *fecundum Bal. in rub. C. qui admitti. allegantem Boetium.* Diffinitio effentiam rei claudit, & allufio fiue etymologia intelli-

gentiam

gentiam rei. Et propterea dicit *Bal. in l. non sine. C. de bon. quæ liber.* quod illud dicitur *inesse*, quod constat ex sui diffinito.

SEPTIMO, quod plus est. Non solum dicitur scientia: Sed & sapientia secundum iurisconsultum *in l. 1. §. proinde. ff. de variis & extraord. cog.* qui dicit, *quod sanctissima res est ciuilis sapientia*, & facit, quia secundum Beatum Thomam *secunda secundæ, q. 1. art. 2. de dono scientiæ.* Cognitio diuinarum rerum vocatur scientia, sed cognitio legalis est huiusmodi per iura allegata, & bonus *text. in l. 1. C. de veteri iur. enucl.* vbi dicit text. Nihil tam studiosum in omnibus rebus inuenitur, quam legum auctoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem expellit errorem, & sic sapientia. Quoniam, *vt dicit gloss. in d. §. proinde.* Ciuilis scientia est sanctissima quoad animam, & firmissima quoad mundum. Et dicit Philosophus ad Alexandrum: *sapientia est conseruatiua animæ, sicut sanitas corporis.* Sed hæc scientia est huiusmodi: Quia fecit homines virtuosos, dirigens eos in Deum, tollens lites, rixas, controuersias, & alia, ex quibus sequi solent homicidia, & omnia alia mala: Ergo est conseruatiua animæ, & corporis, & sic sanctiss. quoad animam, & firmissima quoad corpus.

OCTAVO, Cum, vt clarum sit, doceat quid sit iustitia, & eius effectus, & quomodo iustitia sit administranda, *vt habetur ff. de iust. & iure & Instit. eod.* & quasi per totum. Ergo est diuinarum rerum notitia, cum iustitia de cœlo prospexit, & est essentia trinitatis. Cum iustitia a iure descendat, & ius sit ars boni & æqui, *l. 1. de iust. & iur. & dixi in rubric. des iustices. in princip. in cõmento consuetudinum ducat. Burgund.* vbi etiam posui, quomodo sit vtilis.

NONO, quia seipsum regere, est summa sapientia, vt per Philosophum de regimine principum: Sed hæc scientia nedum docet seipsum regere, sed etiam ciuitates, & prouincias, & totam rempublicam, & omnẽ orbem terrarum: quanto fortius dicitur sapientia. Probantur prædicta per textum *in auth. vt omnes obediant iudic. Prouinciarum.* Sine ea factum est nihil, & est præcipua omnium aliarum, cum per eam reguntur omnia, quia docet iurisconsultum habere docendi peritiam, dicendi facundiam, & discernendi copiam, interpretandi subtilitatem, solertiam, fidem, honores, mores, & laudabilem vitam. Notitiam iusti & iniusti, boni & æqui, & sic notitiam ipsius Dei, cum bonitas, & æquitas sint essentiæ trinitatis, & ipsius Dei. Quid enim plus operatur theologia, *dicam infra*

latius. Faciunt ad prædicta. *l. magistros. C. de professor. & medicis. lib. 10. l. 1. C. de professor. qui in urbe Constantinopolit. lib. 10. l. 1. ff. de iust. & iur. & Instit. eod.* vbi dicitur, quod ius est ars boni & æqui.

DECIMO facit. Quia ius ciuile est dogma omnium sapientium, *vt dicit. text. in l. 2. ff. de legib.* & vera philosophia, & non simulata, *l. 1. ff. de iustit. & iur.* Ergo est sapientia & scientia. Etsi dicatur, quod sunt Legistæ, qui ita dicunt, & asserunt, & non alii. Ad hoc est responsio, quod illis est credendum, cum sint periti in arte: peritis in arte credendum est, *c. fraternitatis. de frigidis, & maleficiatis c. significasti, l. 2. de homicidijs. l. 1. circa prin. ff. de vent. inspiciend. l. semel. C. de re militar. lib. 12. Alexan. in consi. 1. & 107. in 2. vol. post. Pet. de Anch. in quæstion. incip. in antiq.*

VNDECIMO facit. Quia professio iuris dicitur ars liberalis, *vt est tex. ad literam, in l. 1. C. qui ætate vel professio. lib. 10* pro quo etiam facit rubr. iuncto *tex. in l. vnica circa fin. C. de studiis liberalib. vrbis Romæ, lib. 11. & dixi supra ista parte in nona consideratione, vers. tamen.*

3 Dissentiunt autem Angelus Thius † *in suis præcognitionib. logicis,* in hęc verba: *Sileant tumentes & ventosi Legistæ, cum inter ipsos & philosophos tantum intersit, quantum a diuinis rebus distant humana, & carentes vita speculatiua, æquiuoci, sicuti mortui, & lapidei non veri homines iudicantur.*

4 SECVNDO accedit † animaduersio Iacobi Zabarellæ *lib. de naturalis scientiæ constitutione, c. 33.* vbi in hæc verba erumpit: *Ciuilis facultas & legislatoria ambæ ad actiones diriguntur. Ergo vtraq; medicina appellari potest, cum eo discrimine, quod ciuilis vniuersalia præcepta tradat; legislatoria vero ad particularia descendat. Aliud autem est legislatoria, aliud iudiciaria, quæ est illa Iurisprudentia, quam profitentur illi, qui his temporibus iurisconsulti appellari volunt. Hanc enim legislatoria ignobiliorem esse manifestum est, idq; aperte testatur Plato in Gorgia, & Aristoteles lib. 1. de arte Rhetorica. Est enim simplex quædam peritia, quæ neq; scientia est, neq; prudentia, nec ars appellari meretur, cum sine ratione sit, hanc enim callere aliquis potest, absq; vlla ciuilis ac legislatoriæ cognitione; Sed ita esse videtur sub legislatoria, vt empyrica sub arte medica: empyrica enim cum rationem ignoret, ars nominari non potest, cum ars non dicatur, nisi quæ cum ratione est, vt inquit in eo loco Plato.*

5 TERTIO id defendi potest auctoritate † Ciceronis qui *in oratione pro Murena,* quem triduo iurisconsultum fieri posse deprædicat, quod sane de vera scientia dici non potest.

QVARTO pro stabilienda hac contraria adsertione, quod hæc facul-
6 tas non sit scientia, Angelus Matheacius † olim cum pandectas in cele-

berrima Academia Patauina profiteretur, præceptor meus merito colendus, de via & ratione iuris *lib.1.cap.8.* constituit, quod, cum quæ eundem † effectum habent non facile nomine distinguantur. *l. si idem. C. de codicil.* 7
credendum sit, hanc facultatem frustra Iurisprudentiam vocatam *l. 1. ff. de iustit. & iur. §. Iurisprudentia. Inst. eod. tit.* Sed vt intelligeremus illam & nomine & effectu, a vera scientia separatam esse. Quo pertinere videntur multæ leges, quæ instructos tali facultate, iurisprudentes appellant, *vt l. 10. ff. de bonor. possess. l. 4. §. praeesse. ff quis ordo in bonor. possess. seruet.* item iurisperitos *vt l. 17. § fin. ff. si seruitus vind. l. 30. ff. de excusat. l. 1. C. de his qui sibi adscribunt:* itē consultos iuris. Tit. Liu. lib. 1. de Numa Pōpilio loquens: *consultissimus vir, vt illa quisq̃ ætate esse poterat, omnis diuini atq; humani iuris.* Hor. epist. 2. lib. 2. *Quædā si credis consultis mancipat vsus* Ouid. lib. 1. de arte amādi *illo sæpe loco capitur cōsul.⁹ amore, l. 1. C. ne liceat pot.* cōsultiss. princeps.

QVINTO, idem Angelus Matheacius contendit, nos non debere respicere ad ea, quæ sumi viri improprie & obiter, sed † ad ea, quæ proprie & ex pfesso tetigerunt, ideoq; mirū nō videri, si in cursu orationis, dū sensui comuni nos accomodamus, multa dicantur improprie, & Iuris ciuilis disciplina, modo scientia, modo sapientia appelletur. Ceterum si vt & ipsi legislatores facere solent, dū rē accurate & secundū veritatē executiēdā existimāt, nos ad illos cōfugere velim⁹, q potestatū & virtutū animi peritissimi sint, & quorū propria talis deiudicatio videatur, vt Arist. † q in hac facultate ceteris omnib. facile pstiterit, lōge aliter se rē habere deprehendem⁹. Eūdē n. dū *Ethicor. 6. c. 3.* habit⁹ intellectiuos animę hos esse demōstret artē, prudētiā, scientiā, sapiētiā & intellectū, quos ad duas animi potestates referat, ad actiuā artē, & prudentiam, illam effectibiliū, hanc agibiliū; ad speculatiuā sciētiā, sapiētiā & intellectū, pl⁹ q̃ aperte demōstrare, iuris doctrinā nullo modo scientiæ, artis, aut sapiētiæ vocabulo accepto referēdā. 8 10

SEXTO, confirmat illud auctoritate definitionis, quid sit prudentia † ab eodem Aristotele *Ethicor. 6. cap. 5.* traditæ. Quod sit habitus agendi vera cum ratione, circa ea, quæ sunt homini bona aut mala.

SEPTIMO id fulcire adhuc alio argumento conatur. Quod scentia † non sit de his, quæ aliter se habere possunt; Ius ciuile esse de his, quæ aliter se habere possunt, Ergo talem facultatem non esse scientiam. Maiorem, & minorem probari Ethicorum *cap. 3. & 4.* 11

OCTAVO præsidium mutuatur a definitione scientiam esse habitum p demonstrationē acquisitum; Iurisprudentiā † non esse habitū p demō- 12

ſtrationem adquiſitum. Maiorem eſſe philoſophi ibidem. Minorem patere, quod ius omneſque leges verſentur in materia contingenti, proinde mutabili, quales ſunt hominum actiones, non autem in neceſſariis & æternis.

Nono, Chaſſaneus *loco iam deſignato* arguendo in vtramq;, priorem ſententiam ita impugnat quod cum ſcire ſit, rem per cauſſam cognoſcere, *vt docet Ariſtoteles lib. 2. poſter. cap. 2.*
13 Iur. ſconſultos hunc † modum procedendi non habere, ſed nuda auctoritate legis aut canonis niti, quod ita concepta ſint.

14 Decimo, quod leges non videantur, † probare ſubtilitatem, ſed ſimplicitatem, *vt l. ſicut verſ. ſi debitori. ff. quib. mod. pig. vel hypoth. ſoluit. l. 1. vt act. ab hered. & contr. hered. incip. §. ſed quia Papinianus. Inſt. de fideic. hered. cap. dilecti filii. ext. de iudiciis.*

15 Vndecimo, quod in legibus † pro ratione voluntas ſufficiat, *vt l. proſpexit. ff. qui & a quibus.* quod principi placuit legis vigorem habet, *Inſtit. de iure. natur. gent. & ciuil. l. non omnium. ff. de legib.*

16 Dvodecimo, quod interſit inter † opinionem & ſcientiam: ſed leges in opinione plerumque conſiſtere. *§. reſponſa prudentum, Inſtu. de iure natural. gent. & ciuil.*

17 Decimotertio, quod cū † ſcientia debeat eſſe de immutabilib. æternis & determinatis, *vt per Ariſtotelem lib. 5. Ethic.* hoc non poſſit dici de hac facultate, quæ & ſæpe mutetur, & non omnes caſus complectatur. Quod argumentum Chaſſanei ita intelligo, vt requiratur in omni ſcientia, vt verſetur circa aliquod ſubiectum. vt tractet de re certa & determinata, vt docet Ariſtoteles *lib. 4. metaphyſicor. cap. 1. & lib. 11. cap. 6. & primo poſt. cap. 23.* Atqui id in iuriſprudentia non procedit, quod ſubiectum determinatum & adæquatum non habeat, quod non poſſit complecti omnes caſus, qui quandoque inciderint, *l. neq. l. non poſſunt. ff. de legib. cum ſimilibus.* Nam niſi ita Chaſſaneum accipiamus, non animaduerto, quomodo illatio ipſius procedere poſſit, cum ſcilicet pertineat ad vltimam partem, non primam, quod ſit de immutabilib. & æternis, quæ ſeparatam cauſſam habent, ſecundum ea, quæ etiam ſupra ex ſententia Angeli Matheacii obiecimus. Mouet præterea idem Chaſſaneus nonnulla alia argumenta, ſed quod illa, dum perſequimur fundamenta Angeli Matheacii, ſint propoſita, & quod quædam videantur eſſe languidiora, his in præſentia contenti erimus.

In hac

In hac opinionum conflictatione conſtituo primam ſententiam, ſi res
ad iuſtam diſtinctionem reuocetur, præferendam eſſe; quod ipſum vt
dilucide oſtendere poſſimus, argumenta pro hac vltima aſſertione in me-
dium adducta, ordine diluemus.

Principio non puto, magnopere † mihi conflictandum eſſe cum in- 18
cõſulta & contumelioſa deſtomachatione Angeli Thii. Enimvero vocẽ
tam impiam, nedum homine ſubtilioris doctrinæ indignam, cum res i-
pſa, tum vtriuſque pronuntiati & illationis vanitas, ſummæ leuitatis &
incogitantiæ coarguit. Pronuntiati prioris dum † philoſophis res diui- 19
nas, iuriſperitis humanas adſcribit, tanquam Ariſtoteles, qui nedum plu-
rima, quæ cum vera religione pugnant, tradidit: Sed etiam vnum Deum,
& ſummam Trinitatem nullo modo agnouit, & quæ a rei veritate alie-
niſſima ſunt, memoriæ prodidit, vindicari debeat, certam rerum diuina-
rum doctrinam conſtituiſſe; ita vt qui eundem talia tractantem enarrant,
interpretibus † iuriſprudentiæ, qui veram fidem, cultum vnius Dei, & 20
ſanctæ, atque indiuiduæ Trinitatis exigit atque præſcribit, iura ad reli-
gionis, ad ſacroſanctas eccleſias, epiſcopos & clericos, deinde pietatis
cauſſam pertinentia proponit atque confirmat, vt toto titulo *de ſumma
Trinitate & fide Catholica, de ſacroſanctis eccleſiis, de epiſcopis & clericis, &
infinitis pene titulis iuris canonici*, præponendi ſint? quod hi de rebus hu-
manis diſſerant; illi autem de diuinis. Hoc fundamento, quo nullum in-
conuenientius excogitari potuiſſet, ſublato, videamus an quod ſucceda-
neũ eſſe voluit, has partes tueri poſſit, quod vita † ſpeculatiua careant, &c. 21
Hæc verba duplicem ſenſum recipiunt, quod cum res illas diuinas, qua-
rum cognitione Ariſtoteles imbutus erat, non contemplentur, propter-
ea incertum ſit, an hominibus, vt animalia amphibia, annumerandi ſint.
Hunc ſenſum ſi verbis ſuis adſcribat, ego illi talem contemplationem
non inuidero. Eſt deinde alia interpretatio, quod cum illorum doctri-
na non ſit ſcientia ſpeculatiua, idcirco ſint homines lapidei. Non nega-
bo, quod cum Ariſtoteles *lib. 2. Metaphyſ. cap. 1. item lib. 6. cap. 2.* ſcientias
diuidat in ſpeculatiuas & practicas, eſſe, qui iuriſprudentiam inter pra-
cticas ſcientias ratione actionum aut operationum internarum referant.
Sed cum illud non ea ratione fiat, quod in ſcientia practica nulla † ſpe- 22
culatio verſetur, cum qua ratione per ſcientias ſpeculatiuas cognoſcimus
res, & de ipſis iudicamus; eadem ratione id obtineat in ſcientia practica.
vt recte † docet Ariſtot. libr. metaph. 2. cap. 1. text. 3. dum ait, practicos 23

considerare, quo pacto res se habeat, & cōtemplari caussam, quamuis non per se, sed ad aliquid. Sed quod circa finem differant, quod speculatiua cognitione contenta, ad nullas operationes, siue internas, siue externas, vt practica, referatur, neq; potentiam, ad huiusmodi opus obeundū, regulas tradendo, & praecepta operandi dirigat; vt comemorant etiam Conimbricenses *in Arist. octo libros physicor.* scribentes *in proemio, quaest. 3. artic. 2.* Toletus *in Logicam Aristotelis in sua praefatione quaest 4.* Fonseca *in lib. Metaphy. secundo cap. 3. quaest. 2. sect. 3.* non animaduerto, qua fronte Angelus Thius contendere possit, Legistas, vt ipse illos appellat, vita speculatiua carere, cum ab ipso Philosopho, vnde tota auctoritas suae interpretationis pendet, tam aperte refellatur. Circumscripta autē hac ipsa propositione, illationis vires atq; merita, quod Legistae carentes vita speculatiua (exacta illa meditatione, quae in philosophia Aristotelica ponenda sit) sint aequi-
24 uoci, & sicut mortui & lapidei † inter homines nō debeant recenseri. Hęc nimirū argumentatio colligit nedum Solonem & Lycurgum, vnde tanq̄ a fontib. nostrae leges pro insigni parte fluxerūt, sed etiā Legislatorē Moisen, vnde illi ex cōmercio cum Ægyptiis nō contemnendā partē mutuati sunt, Patriarchas, iudices, reges, de quib. in veteri testamento, Apostolos deniq;, & sanctos omnes, qui Aristotelica philisophia imbuti nō fuerunt, plane stipites & indignos hominis appellatione fuisse. O vocem non Angelo, sed calumniatori, non Thyo, sed Atheo, non Philosopho, sed caudici, quales Iurisconsultos insimulat, conuenientē. Statuo itaq; mihi cū homine, qui incogitantiae suę tā insigne specimē dedit, amplius cōtendendū non esse; quod si quid desit, id ex certamine, quod cū Iacobo Zabarella, viro quidē excellentis ingenii & reconditae eruditionis, sed aemulationis & obtrecta-
25 tionis † studio, tanq̄ caeco de colorib. iudicante, prosequendū est hauriri poterit. Is sane non lapideos vocat Iurisconsultos, sed dignitatis inuidia, quod
26 comes cū esset, † vt Philosophiae professor illis cedere cogeretur, ad deprimendam auctoritatem tā insignis doctrinae, contendit non solū, illā non esse scientiam; sed ne prudentiam quidē, aut artis nomine dignam, quod sine ratione sit: Non iniuria Angelū Matheaciū *in tract. de via & ratione iuris lib. 1. cap. 10.* in haec verba erūpere cōstituo: *O tempora, O mores*, tā illustris n.
27 Academiae professorē, tā inconsideratā † vocē edere, scientiae suae splendorem, maledicendi studio, & aemulationis liuore ita deformare, vt nedum, quae a veritate alienissima essent, sed quae ne prima quidem rudimenta in
28 iure ponentē, fugere possent, se ignorare ostenderet: omnes leges, † constitutio-

stitutiones, canones a ratione pēdere, *cap. erit, dist. 4 l. nominis. §. 1. ff. de verb. sig.* rationem † esse tacitam legē, *l. cum ratio. ff. de bonis damnat.* esse voluntatem legis, *l. non dubium. C. de legib.* esse mentem legis, *l. cum mulier. 47. ff. solut. matrim.* & hinc iudices ad eius obseruationem in supplendis legibus 29
astringere *l. neq. l. non possunt, l. nam vt ait Pedius. ff. de legib.* augere dispositionem legis, *l. regula, § fin. ff. de iur. & fact. ignor. l. illud. 32. ff. ad l. Aquiliam. l. a Titio 108. ff. de verb. oblig. l. nomen 34. §. final. ff. de legatis 3. l. emtor. §. fin. ff. de pact. l. 3 §. cum Pollidius. ff. de vsuris l. his solis. C de reuocand. donat. l. cum dilecta. de confirm. vtili & inutili,* & contra restringere legem *lata depositioni. ff. de administ. & peric. tut. l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patronat. l. milites agrum. ff. de re militari. l. hac actio. ff. de calumniat. l. si is qui animo. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. cum acutissimi. C. de fideicom. l. generaliter. §. 1. ff. de instit. & substit. l. cum auu. 102. ff. de condit.* Ex quibus nec non aliis innumeris legib. edocemur, rem non ad significationē, q̄ verba præ se aliquando ferunt, sed ad mentem & rationem deflecti debere. Quæ sola cum ad temerariam & inconsultam adsertionem Zabarellæ sufficere possent, tamen quod auctore Iustiniano, veritas oculata fide magis, quā per aures animis 30
hominum infigatur. *§. fin. Inst. de grad. cognat.* vt studiosa iuuentus, & illi, q̄ Arist. atq; Philosophiæ preceptis, duntaxat imbuti, sacros Iurisprudentiç fontes haurire non potuerint, † oculis pcipere possint Iuriscōsultos Solonis & Lycurgi legib. itē Ægyptiorū excellenti doctrina, cui' primordia 31
sacræ scripturæ & diuinæ p Moisē insinuatæ institutioni, accepto ferim', instructos, deinde Platon. Arist. & aliorū philosophorum monumentis excultos, *l. antiqui. ff. si pars hered. petat. l. si pater. ff. de solut. l. 7. mense. ff. de stat. hom.* longa rerū experientia edoctos, *l. si quando. C. de in off. testam. §. responsa prudentiū, Inst. de iure nat. gent. & ciuil.* maiorum auctoritate atq; exēplis cōfirmatos *l. 2. §. ab hoc pluri. ff. de orig. iur.* deinde proprii ingenii acumine adiutos, *d. l. 2. §. post hunc.* Vltimo euangelicæ veritatis radiis illustratos. *l. 1. C. de summa trinit. & fide cathol.* illa literarum monumentis consignasse, & in legis vincula coniecisse, quæ eandem, in quibus Aristot. non impegit, rationis vim habere, † in quib. lapsus est, nedū saniora, sed plane in- 32
corrupta, & naturali rationi, & diuinæ scripturæ consentanea deprehendant. Non abs † re me facturū existimaui, si quædam celeberrima ipsius 33
Aristot. pronuntiata ex diuersis libris desumta, & in præsentem disceptationem collata, ad legum & iurisconsultorū responsa exigerem, & deinde pleniori tractatu Ethicorū librum quintū collatione præceptorū Arist.

& legum nostrarum facta, enarrarem. Vltimo, octo libris politicorum
eodem consilio manum admouerem. In quib. tamen, quod non omnia
ad vsum eius ætatis, in qua versamur, deflecti possint; modo materiam
paucis verbis perstringerem, modo singula capita ad rationes legum &
constitutionum reuocata exhiberem, confidens, me collocatæ operæ il-
lum fructum relaturum, vt non solum Zabarellæ, & eorum, qui eodem
inuidiæ morbo occæcati, tam absurda de ipsa iurisprudentia, in qua ne
prima quidem rudimenta posuerunt, vt discipulis tam eminentis disci-
plinæ odium ingenerent, pronuntiare non dubitant, occurrerem: Sed
etiam vt docti, atque vtraque scientia ornati viri, quibus plus otii, atque
liberi temporis est, quam geminæ functionis occupationes mihi conce-
dunt, exemplum secuti, vel potius proprio motu, & de re literaria bene
merendi affectione excitati, omnia Aristotelis, Platonis, & aliorum phi-
losophorum præcepta, quæ natura sui, & cum præsentis temporis vtilita-
te, commode eodem deriuari poterunt, cum legum rationibus compo-
nere, quæ conueniant expromere, & legum auctoritate firmare, quæ cõ-
traria sint ad æquitatis fontem & legis diuinæ normam reuocare: deinde
oculos circumferre per immensam illam quæstionum syluam, quæ ra-
tionibus a iure ciuili in considerationem vocatis, dirimi debeant, atque
34 defunctis hoc labore superefit, digito duntaxat † indicare velint: vt stu-
diosi non nudis & dubiis (certa enim in alia caussa sunt) philosophorum
rationibus, sed auctoritate principum constabilitis, quæ in scholis & fo-
35 ro pondus & firmitatem conuenientem habeant, nitantur, simul etiam
36 his adsuescant, † quibus se in iudicando parituros, cum in professores, vt
† formula iurisiurandi demonstrat, aduocatos, iudices, *l. rem non nouam. C. de iudiciis*, suscipiuntur iureiurando confirmant, cuius cum omnibus,
tum maxime christianis, sanctissima religio esse debet, *cap. & si Christus, & tot. tit. extr. de iureiurando*. Vt igitur initium faciam a celeberrimis qui-
busdam logices pronuntiatis, hæc in Zabarellam & eius assertores dicta
sint. Si nulla ratione vtuntur iurisconsulti, vt cum stomacho profitetur
idem Zabarella, ratione careant necesse est, illa Aristotelis axiomata tan-
topere a philosophis commendata, vt illa, omnem doctrinam & discipli-
37 nam discursiuam † ex cognitione præuia exsistere, quæ vel ex vniuerso
vel ex aliquo sumatur, *cap. 1. lib. 1. posteriorum lib. 1. physicorum cap. 1. Metaphys. lib. 2. cap. 3.* Idem enim & iura nostra profitentur, dum vt quis ad
rei veritatem & iustam cognitionem peruenire possit, caussarum indaga-
tionem

tionem requirunt, *vt 23. quæst. 8. cap. occidit, capt. propterea & cap. intelligentis. extr. de verb. sign. l. 1. ff. de doli mali except. l. 1. ff. de iure & iust. l. 1. ff. de reb. cred. si cert. pet. l. 1. ff. de orig. iur.* dum ex his legibus edocemur, nos cognitis rerum † primordiis & caussis, ad verum rei, de qua tractetur, in- 38
tellectum posse peruenire. Pari ratione eædem nostræ leges non semper a caussis, quod dialectici a priori vocant, hanc ipsam notitiam docent profluere, sed etiam a particulari, dum colligunt † ipsum vniuersale, per 39
id, quod manifestum est particulare, *l. 1. ff. de reg. iur.* non vt ex regula ius sumatur, sed vt ex iure, quod est, regula fiat. In eadem conditione est pronuntiatum *cap. 2. lib. posteriorum*, quod scire sit rem per caussam † cogno- 40
scere. propter quam res est, & quod ipsius sit caussa, & quod non contingat hoc aliter se habere, *item cap. 1. lib. 1. physicæ auscultationis*, quod in omnibus disciplinis, quarum sunt principia, aut caussæ, aut elementa, cognitio & scientia ex horum cognitione oriatur. Quo pertinent etiam illa, quæ ab eodem commemorantur, *d. cap. 1. cap. 7. tex. 70. & 8. Metaphysicor. cap. 4. tex. 12.* Nam ex nostris legibus hoc ipsum axioma probari videmus, dum negant, scire leges, non esse verba tenere, † sed illarum vim 41
& potestatem, *l. scire leges. ff. de legib.* & quod is deniq; perfectam rei scientiam cōparasse videatur, qui rei primordia, caussas, & omnes circumstantias explorarit, *d. l. 1. ff. de orig. iur. l. 1. ff. de dol. mal. 23. quæst. 8. cap. occidit, cap. intelligentia. & cap. propterea. de verb. signific. Inst. de test. §. 1.* Eodem pertinet & alia eiusdem Aristotelis propositio, propter quod † est vnum- 42
quoque, illud magis est. Enimuero si consulamus *l. ex diuerso. ff. sol. matrim. item. l. multo magis. C. de sacrosanct. eccl.* decisionis ab Imperatore & Iureconsulto propositæ eadem ratio reddetur. His respondet, quod neget idem Aristoteles *cap. 3. poster.* non esse procedendum † in infinitum, 43
quod etiam nostros legislatores minime latuit, *l. fin. C. de sacrosanct. eccles. l. 1. §. fin. ff. de pericul. & commod. rei vendit. l. 1. C. de eo quod interest, l. qui bona. ff. de dam. infect. §. fin. l. terminato C. de fruct. & lit. expens. l. 15. a diuo Pio §. emtor. l. 4. §. aut prætor. ff. de re iudicat.* aut quod impossibile sit, id conandum non esse, *d. cap. 3. posterior.* cum quo conuenit lex. *188. vbi. ff. de reg. iur. §. fin. & d. l. 1. C. de eo quod interest. l. impossibilis. ff. de verb. oblig.* His finitimum est, quod eodem cap. 3. comprehenditur: in iis demum in circulo esse probationem † quæ se inuicem consequuntur, quemadmodum proprie iniuria est, omne quod non iure fit, & contra, *l. 1. ff. de* 44
iniuriis, instrumentum est quod rem instruit, & e diuerso, *l. notionem 99. ff.*

C

de verb. signif. Non aliena est ab hac ipsa consideratione quarti capitis li-
bro posteriorum collectio, q de omni illud sit, quod sit vtiq;, nõ in aliquo
quidem in aliquo autem non, neq; aliquando quidem, aliquando non, vt
si de homine animal: Si verum hunc dicere hominem, verum & animal,
& si nunc alterum & alteri, & si in omni linea punctum consimiliter. Si-
gnum autem, etiam instantias ita ferimus, tanquam de omni interrogati;
aut si in aliquo non, aut si aliquando non. Cum hac n. Aristotelis defini-
tione conuenit responsum Iurisconsulti Iuliani. *l. 13. si is qui ducenta. §. v-
trum. ff. de reb. dubiis*, in hæc verba, quia simul possunt esse vera, quam-
uis contraria sint: quia † cum significatio non ex vniuerso, sed ex aliquo
45 sumitur, si veri aliquid inde sit, veram efficit totam orationem. Sicut e
contrario, duæ orationes pugnantia continentes falsæ sunt, veluti si qui
liberorũ partim puberes, partim impuberes decesserint. Nã & hoc falsum
est, omnes impuberes decessisse; & illud omnes puberes decessisse. Id acci-
dit, q a significatio sumitur ex vniuerso: in quo si aliquid falsum est, totam
orationem falsam efficit. Accedit lex, *8. si necessarias. §. si annua. ff. de pignor.
act.* Ex his etiam illud efficitur, vt etiam in hac iuris disciplina eueniat,
quod de aliis scientiis commemorat Aristoteles, *d. lib. 1. posterior. cap. 8.* q
46 principia quædam habeat communia, quædam propria, † cõmunia & illa
cum omnib. scientiis, vt sunt præcepta dialectices, de quib. idem Aristot.
ibi. in fin. maxime illud principium, cuius mox mentionem fecimus, duo
contradictoria, quæ pugnantia Iurisconsultus appellat, non † posse simul
47 esse vera: eodem spectant topicorum axiomata pene omnia de interpreta-
48 tione, *l. 2. § † appellata. ff. de reb. cred. si cert. pet.* quod definitio conuerti
49 cum definito † debeat, *l. 1. §. dolum. ff. de dol. mal. l. 27 Quintus Mutius. §. cui
aurum. ff. de aur. & argent. leg. l 7. Fulcinius. §. quid sit autem lautitiae. ff. quib.
50 ex caus. in possess. eatur*, posita specie † genus poni, non contra, *vt l. 47. si
51 quid earum. §. inter emtum. ff. de legat. 3.* quod † forma det esse rei, *l. 80. si is
qui quadringenta. ff. ad leg. Falcid. §. 1.* quod illa sublata res quoque subla-
ta dicatur, *l. 19. Iulian. §. sed si quis rem. l. 13. mulieris. §. 1 ff. de verb. signif.* quod
52 sine materia † nihil constitui possit, *l. 8. nec emtio. ff. de contr. emt. §. 1. l. 72.
pacta conuenta. ff. de contrab. emt. §. 1. Instit. de emt. & vend.* In sum̃a si omnia
53 præcepta † topicorum, imo totius pene dialectices, pstringere quis velit,
hæc ad iuris decisionem reuocari possent, vt videre licet e locis legalib. a
Nicolao Euerardi pside magni consilii Mechliniensis singulari ingenio
& studio conscriptis. Quædam autem principia nobis cõmunia cum aliis,
sed

ſed paucioribus cum Theologis & philoſophia † morali vniuerſalia & primaria duo, vnum, vt fugiamus, q̃ mala & noxia ſint; alterum vt quæ bona ſunt & ſalutaria ꝓſequamur, *cap. non ſatis. 85. diſt.* Sed vt hæc ab illis, ita ſane a iure ita determinãtur, vt æquũ ab iniquo ſeparet, licitũ ab illicito diſcernat. *l. 1. §. 1. ff. de iuſt. & iur.* His reſpõdet præfatio in 6. decretalium, item in Clementinis, dum Iuſtin. *in 1. conſtit.* quæ in Digeſtis conſpicitur, ait legũ auctoritatẽ eo pertinere, vt res humanas bene diſponat, & omnẽ iniquitatem expellat, itẽ *l. 2. in fin. ff. de legib* leges & canones pertinere ait ad virtutes inſerendas & vitia extirpanda. Cõmittendum aũt in præſenti diſceptatione † nobis nõ eſt, vt finẽ cũ ipſis principiis, p q̃ ad finẽ perducimur, temere cõmiſceamus. Cũ n. legislatorũ ſcopus eo ꝑtineat vt iure definita ratione bonos efficiant, & hoc modo conciliata ſocietate hominũ florẽtẽ reipub. ſtatũ conſtituant, *l. humanũ. C. de legib. item l. 1. ff. de cõcep. digeſt. item Inſtit. in proœmio. l. vnica de nund. l. bona fides. ff. depoſit. l. 1. ff. de vſucap.* hæc temere cõfundenda non ſunt, ſed certo ordine ab ipſo fine ad principia, vel contra proficiſcendum eſſe ponderemus. Cauendũ ꝑterea eſt, ne hic vna cum inſigni alioqn, & ſubtilitatis atq; eruditionis laude pręſtanti viro Ioachimo Hoppero Phriſio cum viueret, ꝑſide conſilii Belgici in Hiſpaniis, impingamus, qui dum ſuo libello de *arte iuris*, titulo *de vniuerſalib. principiis*, hæc eadẽ membra conſtituere videtur, meo iudicio in illo labẽ cõtrahit, ꝙ hæc verba, mala & noxia fugere, bona & † ſalutaria amplecti, intelligit de omni re, quæ nocere aut prodeſſe poſſit, etiã ſine requiſitione qualitatis, quæ huius facultatis propria ſit, ſcilicet vt declinemus noxias quatenus iniqua & illicita ſunt, ſequamur bona, licita ſcilicet & æqua. Id n. indicant ipſius verba, quæ mox ſubnectit: † *Nã omnes res, ait, a primordio ſibi ipſis ſunt cõmendatæ, vt ea, quæ diſſolutionem minantur, reformident: quæ cõſeruationẽ pollicentur, amplectantur & ambiant. Atq; eſt id ita quidẽ cõparatũ ex ipſa totius vniuerſi conſtitutione, quæ partim mentem boni omnis inuentricẽ, partim neceſſitatem depultricem mali habet auctorem, & ideo ſi quis non inſubtiliter tum in totius iuris, tum in ſingularum legum vim & rationem inſpiciat, reperiet nihil exſtare quod non vel mali alicuius declinandi, vel boni conſtituendi cauſſa ſit introductum.* Hæc ſane interpretatio mihi ex eo probari non poteſt, quod hæc principia magis vniuerſalia videantur, quam quæ menti legislatorum reſpondeant, cum nedum Iuriſconſultis id ꝓpoſitũ ſit, ſed omnib. hominib, imo animantib. Ceterum ſi eadem illa principia ad iuſtitiæ † qualitatem & normã exigas, aliud dicendum eſt, vt fugiamus

(margin: 4, 55, 56, 57, 58)

illa, quæ sunt iniqua & illicita, amplectamur illa, quæ sunt & æqua & licita. Qua in re, ne quis iurisconsultum tautologiæ accuset, quod idem bis inculcare videatur, iniqua illa intelligenda, quæ ita natura comparata sunt, *l. 42. probrum. ff. de verb. sign.* & ad particularem iniustitiam pertinent, illicita illa autem, quæ extra hanc caussam, vel natura, vel moribus, vel legibus, prohibita sunt, *d. l. 42. item l. legis virtus. ff. de legib. l. 3. C. eod.*
59 *tit. Aristoteles Ethicorum lib. 5. cap. 1.* In quam sententiam † Angelus Matheacius *lib. 2. de via & ratione iuris cap. 7.* legem & æquitatem, duo iuris principia, relatis multorum opinionibus, & eisdem confutatis professus est. Quod si quis autem verbum æquitatis & iniquitatis latius pro omni, quod natura ita comparatum est, accipere velit, & licita ad ea, quæ legibus aut moribus interdicta sunt, referat, non pugnauero; sed ex tali interpretatione introducetur quædam non necessaria differentia, inter traditionem Aristotelis, aliam iustitiam generalem, aliam specialem constituentis, & generalem legi accepto ferentis, etiam alias virtutes & ornamenta requirentis; & doctrinam nostrorum. Incidet tamen in eundem effectum. Hæc igitur principia quamuis nobis communia cum philosophis de morali disciplina, de republica, de legibus, tractantibus esse videantur, tamen non sunt quod ea philosophiæ præcepta, quæ cum legibus incidunt iuris scientia contineantur, vt non immerito Vlpianus Iurisconsultus in hæc verba prorumpat, *l. 1. §. 1. ff. de iust. & iur.* Iustitiam namque colimus, & eius scientiam profitemur, veram ni fallor, non si-
60 mulatam philosophiam tradentes. Accedit quod † longe aliam naturam, quam apud Philosophos obtinebant, induant. Nam quæ antea consilii erant, auctoritate legum & principum, quibus Deus omnem animam parere iubet. *cap. solitæ. de maioritat. & obed. l. 1. ad reprimendum.* Quomodo in crimine læsæ Maiestatis procedatur, in necessitatis caussam deducan-
61 tur, ex quo fonte & illud manare animaduertimus, quod † in quibus institutis aliqua pugna sit inter leges & consulta Platonis, Aristotelis & aliorum, illa cedere cogantur, *l. 3. C. de legib. cap. Imperatores, dist. 9. cap. 1. & tot. tit. dist. 10. l. nemo C. de sentent. & interloc. om. iud. in proœmio Digestorum*
62 *Codicis, & Institut.* Porro & finis, quem longe præstantiorem, † quam philosophi habent, etiam caussam iurisprudentiæ & philosophiæ separat, vt mox intelligemus. Illud fatemur esse in moralibus libris de republica, de œconomia, de legibus, quæ nostri non attingunt, neque ex ea caussa complecti voluerunt, quod ad principia & finem ab illis constitutum, non multum

multum conducerent: quod nimirum ad rempublicam de nouo † potius 63
constituendam, quod nostro seculo raro accidere solet, quam de constituta, recte atq; ordine moderandam pertinerent, vel ea præcepta proponerent, quæ ad legis necessitatem congruenter transferri non possent. Rursum non est, quod quem torqueat, quod hæc principia nec dum pro 64
pria videantur sed communia † cum Theologis, cum a nobis supra insinuata ratio, hanc difficultatẽ submoueat. Ea enim Theologiæ inspectio,
quæ ad hæc principia † ita determinata referri potest, vt pars iurispru- 65
dentiæ subest, atq; eius auctoritatem agnoscit. Quamuis enim ius ciuile tale imperium non vindicet, diuersa tamen causa iuris canonici est *cap. 1. & tot. tit. de constit. & infinitis iuris Canonici titulis cap. 1. 2. & seq. dist. 15. & passim toto in decreto.* Determinant itaq; reliquas theologiæ partes a Iurisprudentia hæc ipsa principia, item & finis, quamuis enim vtrisq; animæ salus, proposit' sit, theologis, vt in confesso est, iuri ciuili, ex quo luce do-
ctrinæ euãgelicæ imbuti † legislatores fuerunt, *l. 1. & tot. tit. de summa tri-* 66
nitate, & sequenti titulo iuris canon. cap. Imperatores dist. 9. cap. veritate, c. consuetudinẽ. c. qui cõtẽta. cap. qui frustra, dist. 8. cap. sæpe. de restit spoliat. cap. fi. de prescrip. cap. quia in omnib. 3. cap. in ciuitate. cap. consuluit, de vsuris, & infinitis
aliis in locis: tamen felicem † reipublicæ statum ex iustitiæ bonis efflore- 67
scentẽ tanq̃ propriũ sibi asserunt, quippe qui his principiis debeatur, in quorum exsecutione principum ecclesiasticorum, secularium, magistratuum, aliorumque administratorum præcipuam sollicitudinem, quæ tamen cum parentum consensu & mutua opera conspiret, *vt in sequenti cap.*
explicamus, versari videmus, Præter hæc principia † occurrunt & alia, 68
honeste viuere, neminem lædere, ius cuique suum tribuere, quæ succedanea esse, & non tam late patere, res ipsa coarguit, vt & sequenti in capite id etiam exsequimur. Rursum offerunt se principia contractiora, vt regulæ iuris & aliæ definitiones, totis Digestorum, Codicis, decretalium, clementinarum libris, dispersæ, quæ omnes ad primaria illa principia; vt eodem capite ostendimus, referenda sunt.

Liceret id genus infinitas alias enuntiationes etiam Aristoteli probatas complecti, & ob oculos proponere, sed quod id non sit præsentis instituti, singula quæque consectari, idcirco satis esse statuo, si in gratiam
studiosæ iuuentutis † nonnulla, quæ Ethica & Politica præcepta, in expo- 69
sitione nostri iuris nihil lucis adferre, aut quidquam cum legib, commune habere persuasum habent, simul etiam vt tam crassum errorem, quem

nedum Zabarellæ, parum erga iustitiæ studia adfectum, sed multorum aliorum animos inuasit, tanto facilius tollere, & abolere possim, summatim perstringere. & cum nostri iuris definitione conferre.

Principio offert se celebre illud pronuntiatum Aristotelis *lib. 1. Ethicor.*
70 quod † omnis ars omnisq; doctrina, atq; actus, item & electio bonum aliquod appetere videatur, cum quo innumeræ pene leges & canones conueniunt. Occurrunt n. de arte & doctrina exēpla *in l. 1. §. 1. ff. de iust. & iur. l. 1. ff. de vsucap. l. 1. §. proinde. ff. de extraord. cognit. l. 6. si duas. §. fin. ff. de exc. tut. l. 1. in princip. & §. 1. & seq. l. 8. in honoribus delatis. §. philosophis.* de electione apparet *ex l. 97 ff. de solut. l. 104. si in duabus ff. de regulis iur. l. 206. quotiens cap. duo mala. cap. nerui. distinct. 13. cap. bona. de post. cap. cum in cunctis. de elect. & elect. potest.* & generaliter de omni actu *l. 1. ff. ad municipal. l. item Sabinus, de procurat. l. si quando de legat. 1. l. Titia. l. Meuius de legat. secundo. leg. sub pratextu. C. de sacrosanctis ecclesiis. l. 52. generaliter. ff. de episcopis & clericis. cap. 51. Papa, de priuil. in sexto.* Quis finis sit Iurisprudentiæ apparet, *d. l. 1. §. 1. ff. de iust. & iur. l. 1. ff. de vsucap. l. humanum. C. de legib.* medicinæ *l. 1. §. medicorum. ff. de extraord. cognit.* Liberalium artium *ibid. d. l. in principio*, rei militaris, *Instit. in proœmio, item const. tanta, & constit. dedit nobis, quæ Digestorum libris præponi solent.* Quo deinde tendant consilia rem familiarem recte tuentis, nos docet, *lex defunctus. C. arbitr. tutel. lex. 4. §. cura. ff. de munerib. & honorib.* Quod denique
71 fines earum, quæ † magis subeunt rationem architecturæ, sint magis expetibiles, quam omnes fines inferiorum, constare potest *ex d. leg. 1. §. 1. ff. de vsucap. authent. res quæ. C. comm. de leg. l. 23. imperialis. C. de nuptiis. l. bona fides. ff. depositi, l. locus. ff. de seruitut. rust. prad. l. milites agrum. ff. de re militari, cap. 1. de prohibit. feudi alienat. per Lotharium item. cap. 1. de prohibit. feud. alienat. per Frideric. l. fin. ff. famil. ercis cund. l. 1. §. inde quæritur. ff. de operis noui nuntiat.* Imo & illud libenter agnosco, quod ab Aristotele
72 non comprehenditur, ob eandē caussam omnia † ad Deum referenda esse tanq̃ omnis boni fontem & parentem, vt in sequenti capite patebit. Hæc de primo capite Ethicor. suffecerint. Quod vero secundo capite subiicit,
73 † ciuilem facultatem, quam maxime subire rationem architecturæ, vt libenter agnoscimus, nam & hæc, vt recte infert Aristoteles, quas scientias
74 in ciuitate esse, & quales quemque discere, & quo vsque oportet † instituit, *vt l. 6. §. grammatici, §. est autem, §. excedere. §. 5. & philosophos, §. sed & reprobari qui alias lex est, cum §. sequentibus. l. cetera. §. tantundem*,

vbi

vbi generaliter constituitur, libros improbatæ lectionis esse statim corrumpendos, accedit totus titulus pene *de extraord cognit.* vbi quæ scientiæ & artes tolerandæ sint. quæ improbandæ, edocemur, *l. damnato. C. de hæreticis, l. omnes. l. quicunq;. eod. tit.* quæ ostendit, quæ consilia, & qui libri probandi, quæ contra auctoritate careant, & qui libri non sint legendi, &c. Accedunt lex *Manichæi.* item *l. Gazaros,* & pene totus titul. de *hæreticis,* item de *apostatis, de iudæis. l. 2. & 3. l. nemo. C. de maleficiis & mathematicis, l. vbicunque. C. de episcop. audient. tot. tit. extr. de magistris, cap. fraternitatis tuæ. cap. ad abolendum, & toto titulo. extra. de hæreticis. item. in sexto & clem. item. cap. 1. secundo & tertio de sortilegiis. capite super specula, de priuileg. & excession. clericor. cap. Imperatores, distinct. 9. cap. Imperatorum. cap. quoniam. capite de capitulis. distinct. decima. canones. cap. sicut, c. sancta distinct. decima quinta.* Ex quibus edocemur, nedum qui canones, consilia, sed etiam, quæ euangelia recipienda, vel inter apocrypha habenda sint. Huc pertinet tota distinctio *16. 17. 18. 19. capite primo. & tota distinctio trigesimaseptima.* Quæ consideratio Iacobum Zabarellam, † 75
de quo iam dudum agimus, vanitatis coarguit, cum ciuilem facultatem & Legislatoriam ab hac disciplina, sine auctore, sine ratione, separat, atque distinguit, neq; quid appellatione ciuilis facultatis, item legislatoriæ complectatur, has a iure nostro secernendo satis expedit, aut expedire potuit, de qua re postea copiosius. Ostendit deinde Arist. eas facultates, quo summis honorib. † afficiantur, vt rei militaris, rei familiaris facultatem, 76
ac oratoriam artem huic facultati subesse. Enimuero cum iustitia alia vniuersalis sit, alia particularis, item, & iniustitia *capite primo, lib. Ethicorum 5.* Vniũersalis non solum differit de illo, qui plus capiendo excedit, sed etiam militares virtutes requirit, vnde recte statuitur. *leg. duodecima. ff. de re militari,* officium regentis exercitum † non solum in danda, 77
sed in obseruanda disciplina consistere, debere. Itaq; eum, qui meminerit se armato præesse, parcissime commeatum dare, equum militarem extra prouinciam duci non permittere, ad opus priuatum militem non mittere, esseque officium tribunorum, & eorum, † qui exercitui 78
præsunt, milites in castris continere, ad exercitationem producere, claues portarum suscipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensorum fraudem coercere, delicta secundum suæ auctoritatis modũ castigare, principiis frequenter interesse, querelas cõmilitonũ audire, valetudinarios inspicere.

Pleni tam salutarib. præceptis deinde sunt totus ille titul' *ff. de re militari,*
item C. de re militari. de erogatione militaris annonæ, de militari veste, de
metatis, & epidimeticis, & multi alii tituli. Eodē referēda sunt salutaria illa
instituta, quæ circa officia magistri militum, tribunorum centurionum,
deniq; & militū, ab † Imperatorib. Maximiliano, Carolo, Maximiliano se-
79 cundo, & inuictissimo Imperatore Rudolpho Ratisbonæ Anno 1594.
80 constituta sunt. In eadem caussa est rei familiaris † facultas, quam legis-
latoribus curæ fuisse constat ex *l. defunctus. C. arbit. tutelæ, l. cura. ff. de mu-*
nerib. & honorib. l. 2. ff. de his qui sui vel al. iur. sunt, l. 5. ita dispositioni. l. 7. tutor,
l. 13. in princip. & §. 1 l. qui negotiationem. ff. de administ. tutorum & curat.
& passim toto illo tit. item tit. de procurat. de negot. gest. solut. matrim. in qui-
bus laudatur industria facultates augentis & culpa, *vt l. 23. contractus. ff. de*
reg. iur. officium suum negligentis coercetur, *vt l. si constante. § 1. ff. solut.*
matrim. §. si maritus. l. 2. C. de censitoribus. Porro quod oratoriam artem
huic facultati subesse, idem Aristoteles mox commemorat, fortasse quem
ad admirationē conuertere posset, quod Cicero *in oratione p Murena*, tri-
duo quem in Iurisconsultum posse euadere deprædicet. Sed hoc loco
81 ponderandum est, non debere † nos intueri illa, quæ a Cicerone suæ cau-
sæ seruiente prolata sunt, sed quæ in libro quem *De Officiis*, item, illo quem
82 *De Legibus* inscripsit, omni fuco remoto, & adhibita † consideratione
atque iudicio pronuntiet, omnium scilicet disputationum fontes iure ci-
uili & legibus contineri: & quod qui ius ciuile contemnendum putet,
vincula reuellat, non modo iudiciorum, sed etiam communis vitæ & vti-
litatis. Enimuero hæ duæ facultates cum maximam inter se affinitatem
habeant, altera alterius auxilio semper indiguit, *vt ostendit idem Cicero in*
lib. de oratore, & Pomponius. l. 2. §. 4. Seruius cum in caussis: adeo vt seposi-
ta hac auctoritate Aristotelis, & ratione ab eodem adducta, merito dubi-
tari potuerit, quæ facultas cui præferenda sit. Et quidem Cicero *in Orato-*
re profitetur eloquentiam primas in vrbanis pacatisque rebus tenuisse,
secundas iuris ciuilis scientiam, quod ipsum si personam loquentis intu-
eamur, non iniuria suspectum videri possit. Ceterum si perpendamus
quid in perfecto † oratore requirat, cōstare ipsi sua adsertio posset, quod
83 præter politiores literas, cognitionem matheseos, totius denique philo-
sophiæ, etiam iuris ciuilis peritiam in oratore desideret. Quibus respon-
det, quod in dialogo de oratoribus memoriæ prodidit Quintilianus, dum
ait: ***Formamus enim eum, qui non quasdam artes audire, sed omnes liberaliter***
debet,

debet, ideoq; & Iuris ciuilis scientiam veteres oratores comprehendebant, & Grammatica, Musica, atq; Geometria imbuebantur. Hoc igitur honoris & eminentiæ oratoriæ facultati non per se, sed ob coniunctionem Iuris ciuilis tribuebatur. Accedit, quod illo tempore, quo Cicero floruit, rudis & impolita † Iuris ciuilis disciplina fuerit, quod inde cōstare potest, quod 84.
Iustinianus comparatione antiquitatis cum insequenti ætate facta, nullum Galli Aquilii, Balbi, Papyrii, Quinti Mutii, Seruii Sulpitii responsum suis Pandectis inseruerit, sed Iuliani, Gaii, Papiniani, Vlpiani, Pōponii, Pauli, & aliorum, qui ex scholis eiusdem Iuliani & Papiniani prodierant. vt omnes vno ore loqui viderentur, neq; splendor totius operis accessione insubtilioris sententiæ, aut dictionis minus politæ & elegantis deformaretur. Præterea Cicero vim ciuilis scientiæ, non tam in acumine inuentionis, & interpretationis earum legum, quæ iam latæ erant, quam in concinnatione formularum & cautionum, constituisse videtur, vt coarguunt ipsius verba, † in libro *de oratore*, quæ ita se habent; *Cum in altera, eloquentia scilicet, gratia, gloria, præsidii plurimum esset, in altera persecutionum & cautionum præceptio:* Porro cum talis formularum conceptio, 85
quæ antea ancillula, & pedissequa fuerat Iuris ciuilis, Imperatorum constitutione explosa sit, *tot. tit. de formulis actionum sublatis*, & nos tractemus de ipsis legum fontibus, & docta atque congruenti, † earum interpretatione, quæ exponendi subtilitatem, docendi peritiam, dicēdi facundiam, 86
& disserendi copiam requirat, *l. vnica. C. de professor. qui in vrbe. Constant. lib. 12.* & magistratibus viam in iudicando aperiat, aduocatis actionis & defensionis materiam suppeditet, verborum nitore expoliat, ex quibus partibus vt inuentione, dispositione, & elocutione oratoriam facultatem constare videmus, cum memoriam & actionem magis naturæ & exercitationi accepto referri videamus, quam arti; & ipsa oratoria facultas, vt patrocinia aduocatorum iudiciis, quæ tota & sola Iurisprudentia vendicat, destinata sint, consequens quoq; videtur, vt pars † toto, finis inferior 87
scopo, cui destinatur, concedat, & in comparatione dignitatis posteriora ferat. Non mutat, quod a nonnullis obiici possit, † in multis Doctorum 88
nostrorum commentariis, nedum ornate, sed etiam emendate, loquendi rationem desiderari, cum præstantiam artis aut scientiæ non ex vitio, quid parum conuenienter exponentis, sed ex re ipsa metiamur. Accedit, quod hæc culpa non tam ipsis Doctoribus, quam tempori adscribenda videatur, cum insequens ætas illos interpretes, & qui plane venustatem & ni-

torem ipsarum legum in explicãdo redolerent pepererit. Qua ratione n. Aristot. scriptis, † nullam labem aspergere potest, translatio parum emé-
89 date facta, aut rudis & impolita interpretum, puritatem sermonis qua Aristot. vsus est, minime imitantium explanatio, eadẽ ratione nonnullorũ Doctorum inconcinnæ cõmentationes, splendorẽ politissimæ facultatis infuscare non possunt. Hæc de arte oratoria. Quod vero idẽ Aristot. mox subnectit, quod finis ciuilis facultatis ceterarum facultatum fines contineat, & quod laudabilius sit, si toti reipublicæ quis prosit quam vni soli, id ad commendationem huius doctrinæ egregie facit, & auctoritate rei euidentiæ, tum multarum legum, *vt l. 1. §. 1. ff. de iust. & iur. l. vt vim. eod. tit. l. humanum. C. de legib. l. 1. de concept. digestorum. l. 1. ff. de vsucap. l. Imperialis. C. de nuptiis. l. fin. C. de appellat. authent. res quæ subiacet. C. comm. de legat. l. locus. ff. quemad. seruit. amit. l. item si verberatum. ff. de rei vindicat. l. Lucius ff. de euict. l. si quando. C. de operib. pub. cap. 1. de prohib. feud. alienat.*
90 *per Fredericum*, confirmatur. Quo pertinent, † quæ huic facultati a Platone in persona Socratis. *in Politico, & Theage* tribuuntur encomia, cum ciuilem scientiam omnium reginam atq; principem statuit. His respon-
91 dent ea, quæ a Demosthene, † ornamento oratoriæ facultatis, in oratione contra Aristogitonem, de ipsa lege cõmemorantur, eam nimirum esse cui omnes obtemperare cõueniat, cum ob alia multa, tum maxime, quod omnis lex, inuentũ ac munus Dei sit: decretum vero prudentum hominũ, coercitio eorũ, quæ sponte vel ignorantia delinquunt, cõmunis sponsio ciuitatis, ad cuius præscriptum omnes, qui in ea republica sunt, vitam instituere debent. Quæ verba Græce ita se habent, *Τοῦτο ἐστὶν νόμος, ᾧ πάντας ἀνθρώπους προσήκει πείθεσθαι, διὰ πολλὰ καὶ μάλιστα, ὅτι πᾶς ἐστὶν νόμος, εὕρημα μὲν καὶ δῶρον Θεοῦ, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ᾽ ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν, τοῖς ἐν τῇ πόλει.* Quib. mirifice cõueniunt ea, q̃ sum⁹ Philoso. Stoicæ sapiẽtiæ Chry-
92 sippus, † de lege in libro *περὶ νόμου* differens memoriæ prodidit, *Lex* ait, *est omnium diuinarum & humanarum rerum regina.* Oportet aũt eã esse præsidem, & bonis & malis, & principem & ducẽ esse, & secundũ hoc regulã esse iustorũ & iniustorũ, & eorũ, q̃ natura ciuilia sunt, animãtiũ, pceptricẽ qdem faciendorũ, phibitricem aũt non faciẽdorũ, q̃ verba Græce ita sese habent: *Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεύς, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι καλῶν, καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα. καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων. προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δέ, ὧν οὐ ποιητέον.*

Quod

Quod si quis Zabarellæ,propterea ignoscendum putet, quod rudis in Iurisprudẽtia,& ne minimis eius † cunabulis imbutus,tanq̃ cæcus de colore iudicarit,saltem hoc cõcedat necesse esse est,ea indulgentia indignũ esse,qui totius suæ scientiæ principẽ non audiuerit. Hic n. libro quinto Ethicorum *cap. 12.* inuectus in illos,† qui existimarent,non adeo magnæ sapientiæ esse,iura nosse,cum non si adeo magni negotii,nonnullas leges scire, & cognoscere res, de quib. in iure tractetur,addit, longe aliter rem comparatam esse, cum, quemadmodum in medicina quis facile percipere possit, quid sit mel, vinum,veratrum, sectio, vstio, quibus medici vti solent, sed sit artis & ingenii, si quis eadem recte, atque ordine applicare possit,idem etiam in Iurisprudentia eueniat,vt præstantis sit iudicii,& ingenii subtilioris,secundum dignitatem & merita,consideratis omnibus circumstantiis quod suum est,cuique tribuisse, & antea quomodo id faciendum sit iudicasse. 93 94

Idque eo iustiori ex caussa probandum est, quod summus philosophus Plato,† quem parum candide idem Zabarella nobis obiecit,illud minime profiteatur,quod eidem ab aduersario adscribitur, iudiciariam facultatẽ carere ratione,sed longe,vt res postulabat, contrarium. Etenim cum in dialogo,quem Gorgiam inscribit,de Rhetorica dissereret, & compararet gymnasticam & medicinam cum nomothetica & iustitia iudiciaria, constituit iudiciariam esse,quæ ita sese habeat ad curanda animi vulnera,quẽadmodum medicina ad restituendam corporum sanitatem, in hæc verba: 95

Age vero † si potero clarius,quod dixi,explicabo. Cum res duæ sint,artes esse geminas arbitror:& artẽ quidem ad animã ptinẽtem,ciuilem nuncupo,eã vero, quæ ad corpus, nomine vno nominare non possum, sed huius artis vnius, q̃ curat corpus,duas pono particulas:alteram quidem gymnasticã,alterã medicinam. In ciuili vero nomotheticam sc. conditricem legũ pono,correspondentẽ gymnast.ca. & iustitiam scil. iudiciariam, medicinam quodãmodo referentem. Cõmunicant vero inuicẽ,vtpote q̃ circa idẽ sunt,medicina atq; gymnastica,rursusq; iudiciaria atq; legalis. Veruntamen inter se etiã differunt. Cũ vero hæ quatuor sint,semperq; q̃ optimum curent:hæ quidem corpus, illa animam: facultas adulatoria, id sentiens non cognoscens quidem, sed coniectans se quadrifariam diuidit, singulasq; subit particulas, simulans id se esse, quod subiit: & optimi quidem nullam habent curam,sed semper eo,quod dulcissimum est,quasi hamo,incautam illaqueat mentẽ,& vsq; adeo decipit,vt plurimi apud eam æstimanda videatur. Medicinã quidẽ coquinaria subiens,simulat optimos se cibos corpori adhibere. Quamobrẽ si 96

vel inter pueros, vel viros admodum pueriles contendere oportet, coquum vel medicum, vter eorum de bonis malisue cibis, plus intelligat, medicus quidem fame periret. Id ergo adulationem voco, ac turpe, o Pole, quiddam existimo. Idenim aduersus te dico. Propereaq́, al s3, vlla optimi ratione voluptatem aucupatur. Neq3, artem eam esse dico, sed peritiam quandam: quoniam nullam eorum, quæ affert, qualia sint natura, habet rationem: quo fit vt nullius rei caussam possit afferre, quare artem non appello, quæ careat ratione, de quibus tamen si ambigis, rationem me tibi polliceor redditurum. Itaq, medicinam, vt dixi, coquinaria adulatio subit, Gymnasticam vero similiter fucatoria, res noxia, fallax, ingenerosa, illiberalis, figuris, coloribus, lineamentis sensu quodam ita decipiens, vt propter extrinsecum fucum propriam veramq3 formam, quæ fit per Gymnasticam, negligamus. Ceterum ne sim prolixior, more Geometrico dicam, sic enim forte iam assequeris. Profecto quod fucatrix ad gymnasticam, id ad medicinam, est coquinaria: Immo vero sic; Quod fucatrix ad gymnasticam, hoc Sophistica ad legalem, rursusq3 quod coquinaria ad medicinam, id, Rhetorica, ad iudiciariam. Veruntamen vt dicebam, ita natura distinguuntur: ac etiam tanquam propinqua miscentur inuicem in eodem & circa eadem, Sophistæ videlicet & Rhetores: nec vtilitatem respiciunt aliquam, quam vel pro se ipsis vel pro aliis sequantur vnquam. Nam si animus corpori non præesset, sed ipsum sibi: neq3 ab eo perspiceretur, discerneturq3 coquinaria & medicina, sed corpus ipsum gratia voluptateq3 sua hæc perpenderet, illud Anaxagoræ prorsus accideret amice Pole: horum enim habes peritiam: omnia videlicet in eodem indiscreta commiscerentur, & quæ ad medicinam pertinent & salutem, & quæ ad coquinariam attinent.

Eodem pertinet, quod idem Plato comparando remedia corporis cum
97 animi conformatione, & medicina † his verbis vtatur: *Mihi quidem videtur ordinationi, corporis nomen esse sanum, ex quo in ipso sit sanitas, aliaq3 corporis virtus; Animi vero ordinationi atq3 ornatui legitimum, lexque esse nomen, vnde legitimi fiunt homines atque decori, hæc vero sunt iustitia atq3 temperantia.*

Cum itaque ab ipso Platone, quem assertionis suæ auctorem & testem adhibuit, tam aperte refellatur, non est quod quidquam præsidii sibi in eo constituat, quod idem Plato sub nomine Socratis ad deprimendam Rhetorices laudem hisce verbis postea vtatur: *Tu propter ignorantiam præclarum quiddam putas esse Rhetoricam, Sophisticam vero contemnis. Sed reuera pulcrior est Sophistica, quam Rhetorica; quo & pulcrior est conditrix le-*

gum

gum, quam iudiciaria, & gymnastica, quam medicina. Quamuis enim † fa- 98
teamur, quod si pronuntiatione iudiciariæ facultatis complectamur cognitionem, & exsecutionem eorum, quæ legibus statuta sunt, quæque a iudicibus explicari solent, concedendum esse maioris ingenii leges recte atque ordine condidisse, quam illis obtemperantem conuenientes iustitiæ partes accommodare. Sed quis mortalium inde collegerit tam leges Romanas, quam earundem professionem ratione carere, aut quis existimet illum ferendum esse, qui sub plausibili nomine Platonis, vel Socratis, tam præclaræ scientiæ splendorem obscurare nitatur. Quod & ipsum etiam profiteri licet de philosophiæ principe Aristotele, quem pari fide & synceritate Iurisconsultis opponit. Is enim libro Rhetoricorum 1. minime commemorat, iudiciariam facultatem nulla † ratione subnixam esse, 99
sed ostendit, reipublicæ maxime expedire, vt leges bene institutæ omnia, quæcunque possunt, complectantur, atq; definiant, minimamq; partem ipsis iudicibus relinquant, quod affectibus occæcati facile deflectere possint: esse tamen iisdem propter varias personarum & rerum circumstantias quædam necessario deferenda. Quod sane & nos libenter agnosci- 100
mus, cum † non vno, sed multis ex locis hanc curam legislatoribus fuisse intelligamus, *vt in proœmio. Instit. Digest. & Codicis. primis constit. l. rem non nouam. C. de iudiciis. §. sed neq;. Instit. de testam. l. nemo. C. de sentent. & interl. om. iud. cap. canonum statuta, de constit.* Quamuis itaq; his bene ponderatis, concidant omnia argumenta & auctoritates, sub quarum falsa imagine Zabarella delitescebat: tamen vt res per se clara tanto illustrior reddatur, neq; sit quod sibi de subtili declaratione, dum ciuilem, legislatoriam, & iudiciariam distinguendo, vltimam huius ætatis professoribus solam adscribit, quę tanquam pedissequa pendeat a ciuili facultate, vt em- 101
pyrica sub arte medica versetur, libenter † quæsierim ex ipso Zabarella, siue partes ipsius capescente, quid ciuilem facultatem, & deinde Legislatoriam appellet? an leges Platonis? quæ puluere & situ obsitæ, nulla in republica bene constituta locum inuenire potuerunt, adeo vt in prouerbium abierit, quid frigidius esse quam leges Platonis: an vero præcepta Politica Aristot. œconomica, Ethica: Absit, quod ea aspernemur: sed nec ipse Aristoteles, neque quisquam acutioris ingenii & experientiæ ciuilem facultatum, de qua dicto in capite loquitur, & Legislatoriam his præceptis accepto tulerunt, neque ferre potuerunt. Illud fatemur, esse in Politicis & Ethicis multa salutaria præcepta, quæque ad conformationem

D 3

reipublicæ cum laude deflecti possint & debeant. Sed quid illa comparatione facta,† cum legib. anne vllum scitum, vllum axioma aut pronuntiatum in illis deprehendi potest, quod ad constitutionem & moderationẽ bene formatæ reip. pertineat? quod ex legib. & canonib. nostris depromi nõ possit? quodq; & melius, & subtilius, & maiori cum iudicio, cum suis circumstantiis, & cõgruenti circa singulas quæstiones distinctione explicet? Periculum eius rei fecimus *in libro 5. Ethicor.* quo etiam præcipua præcepta aliorum librorum transtulimus, in reliquis experiri illi poterunt, quibus est plus otii, & liberi temporis. Et pari ratione Politica Aristotelis cum legibus composuimus parati facere quod in Ethicis præstitimus, vt non solum singula capita, sed etiam quæcunque † dogmata & responsa, & ad leges & constitutiones ciuiles reuocaremus. Sed (vt ingenue fatear) pro insigni parte id attentare non licuit, quod quemadmodum de futuro seculo, & quid dies post mille annos adferre possit, nobis laborandum non sit, ita sane infeliciorem illam operam constituam, quæ circa præterita conferatur. Quo in loco, q̃ſo in disceptationẽ amplius vocatur, quę reipub. forma magis expediat, monarchia, aristocratia & dimoarchia, an denique aliqua forma ex his coniuncta & conflata? item, vbi ciuitates condendæ sint, & id genus alia, circa quæ Aristoteles Politicis aliquot in libris occupatus est. Scio nonnunquam huiusmodi mutationes rerum incidere, sed væ regno vbi tali remedio opus est. Iura autem nostra *(quod & ipse Aristoteles fatetur)* non accommodantur ad illa, quæ rarius † eueniunt. Porro omnia illa, quæcunque in republica bene constituta requiri possint, quæque ad illam beatitudinem, vt pacis & iustitiæ bonis homines florere possint, quæ denique ad salutem æternam animæq; perpetuam felicitatem pertineant, hæc eadem quoad illa legislatorem decent, in ipsa monumenta Iurisprudentiæ collata sunt. Neq; mutat quod intersit inter ciuilem facultatem, Legislatoriam, & iudiciariam. Illud enim Zabarellæ facile largiemur, sed euincere prius debuerat solam iudiciariam † facultatem his legibus contineri. Coarguunt enim hominem temeritatis & inscitiæ, illa, quæ a me ex Platone & Aristotele superius relata sunt, quæque *lib. 5. Ethicor. cap. 1.* dum de vniuersali iustitia disserimus, explicantur. Enimuero leges nostræ non solum † occupatæ sunt circa iudices, quos ex certa forma manet iudicandi necessitas, sed circa magistratus ipsos & eorum instructionem, quorum auctoritate hæc ipsa facultas contineatur, aut contineri debeat, imo circa Imperatorem,

Pon-

(margin numbers: 102 beside "tum in illis deprehendi"; 103 beside "vt non solum"; 104 beside "& ipse Aristoteles"; 105 beside "ciariam"; 106 beside "circa iudices")

Pontificem, & alios principes ecclesiasticos atque seculares, quomodo scilicet eligantur aut quale fastigium illis deferatur, quas partes in administranda republica accommodare debeant, quas leges ferre, qua forma, quibus magistratus & officia decernere; quo pacto patria potestas, & patrisfamilias auctoritas stabiliri, & in summa, quomodo illa, quæ in republica optima esse possent confirmari & aduersa vulnera curari possent, Hæc an ad solam iudiciariam facultatem pertineant, an vero ciuili & legislatoriæ facultati accepto ferenda sint, quilibet mediocriter doctus, & in iure etiam perfunctorie versatus diiudicare potest. Et ita Zabarellæ responsum sit. Pronuntiatum † Ciceronis tertio loco propositum nullo 107
locupletiore auctore aut testimonio refelli poterit, quam ipsius Ciceron. qui in lib. de officiis, item de legibus, præterea in libro de oratore, longe aliter de iurisprudentia pronuntiat, & omnib. scientiis præferendam censet, præterquam oratoriæ facultati; quod ipsum, quam interpretationem habeat, suo loco exposuimus; deinde neminem tam infelici ingenio esse constituo, qui non animaduertat Ciceronem, caussæ suæ seruientē in hæc verba & multa similia prorupisse, ita vt Cato, qui huic † orationi inter- 108
fuit, id & similia dicentem Ciceronē, ridiculum consulem appellarit. Missa enim facio omnes leges, constitutiones, senatusconsulta, responsa prudentum, magistratuum edicta, quæ post mortē Cic. tot retro seculis promulgata sunt, vna oratio quam pro Milone habuit, & circa quam elaborandam & expoliendam, Cic non triduo, sed trib. mensib. & amplius desudare potuit, vbi de illa quæstione iuris disserebat, iure an iniuria Clodiū Milo interfecisset, facile † indicare potest, non adeo expeditā iuris nostri 109
tractationem esse, in quo non mille, sed infinitæ atq; multo intricatiores quæstiones cōtinentur. Hac itaq; cōtrouersia iuris non bene explicata, & Cicero spe sua deiect⁹, & Milo solum exilii caussa vertere coactus est. Qui cum iam extorris luculentā illam orationē, omnib. iuris, q̄ ad quæstionē pertinerent, argumentis, refertam legisset, primæ orationis vitia secum reuoluens, hæc verba protulit: Si hoc modo egisses Cic. † Milo Massiliæ 110
non hæsitaret barbatos pisces. Inter orationes quas lumen & ornamentum Græciæ Demosthenes plurimas habuit, nulla subtilior atq; splendidior † recenseri potest, quam illa, quam pro Ctesiphonte habuit, atquin 111
tota eadem oratio in expositione controuersiæ iuris consumitur.

QVARTO, pro stabilienda hac cōtraria assertione Angelus Matheacius illa argumenta in medium adducit q̄ initio, huius quæstionis ꝓposuimus, quæ & ipsa quāuis prima fronte satis speciosa videantur, tamen subductis

totius cauſſæ meritis fortaſſe aliam faciem recceptura ſunt. Conſtituo enim Angelum Matheacium, Zabarellam, Thium, & id genus alios † au-
112 ctores interrogatos, an philoſophia ſit ſcientia, nulla circuitione vſos id ipſum probaturos fuiſſe. Atqui philoſophia a ſcientiæ nomine diſcernitur. Idem quoque in Theologia euenit, quæ & ipſum nomen peculiare habet; præterea medici ex conſuetudine recte & emendate loquentiū, expertiſſimi vocantur, nonnunquam peritiſſimi. Hæc res tamen non efficiet, vt medicinæ, ſcientiæ nomen denegemus. Ratio autem ea eſt, quod quemadmodum in medicina, ita in iuriſprudentia illa interuenire videamus, quæ ad ſcientiam neceſſaria ſint, vt ex ſequentibus perſpicuum euadet.

Qvinto, ſuccedit alia Matheacii collectio, quæ quamuis ſubtilis videatur, neq; adeo expedita ſit ratio, inde ſe extricandi, tamen accuratius excuſſa, aliam interpretationem meo iudicio admittet. Meminiſſe enim
113 debuerat Matheacius, ſcientiæ † vocabulum ex propria verbi ſignificatione duplicem intellectum recipere, generis & ſpeciei, vt in verbo legis, adoptionis, iuriſdictionis, actionis, obligationis, & id genus infinitis vocabulis euenire, demonſtraui *in commentariis. lib. 5. Ethicorum. cap. 1.* Generis ſignificationem habet, dum Metaphyſ. *cap. 1.* diuiditur in ſpecula-
114 tiuam & practicam. Porro genus de omnibus ſuis † ſpeciebus proprie dicitur, neque enim reſponſa prudentum, ſenatuſconſulta aut conſtitutiones principum minus proprie leges dicuntur, quam ſcita totius populi, *l. 1. ff. de legib.* neque rei vindicatio, quamuis in rem ſit, improprie actio dicitur, comparatione facta cum illis quæ in perſonam ſunt, vt emti, vendi-
115 ti, locati, pro ſocio, mutui, &c. Hinc Stoici † prudentiam definiunt, eſſe
116 ſcientiam bonorum, malorum, & mediorum, Speuſippus autem † *in lib. de definitionib. Platonis*, prudentiam conſtituit ſcientiam eſſe bonorum & malorum, prębentem homini felicem diſpoſitionem, qua quid agendum, quid non ſit, iudicamus. Deinde ſi rem ad viuum reſecare & propius vrgere velimus, hanc noſtram Iuriſprudentiam etiam ſcientiam in ſpecie eſſe deprehendemus. Quamuis enim illa prudentia, de qua tractat Ariſtoteles *cap. 3. 5. & ſeq.* ad ſcientiam † non recte referri poſſit, ex cauſſis de
117 quibus poſtea diſſeretur: tamen contrarium probandum erit, in hac ipſa Iuriſprudentia, quæ auctoritate Iuſtiniani promulgata, publice in ſcho-
118 lis legitur: quæque ex cauſſis † neceſſariis, ſiue ex naturæ diſpoſitione,
119 ſiue etiam ex ipſa poſitione, vt ita loquar, profluat. Diſpoſitione † naturæ,
dum

dum iura naturalia dicimus esse immutabilia, cognationem exstingui non posse *l. iura sanguinis, ff. de reg. iur.* quod factum est infectum nulla constitutione reddi, *l. verum. 31 ff. de reg. iur.* eius quod non sit nullas esse qualitates *l. Celsus. ff. de vsucap.* duos in solidum possidere non posse, *l. 3. §. ex contrario. ff. de adq. vel amit. possess.* impossibilium nullam esse obligationem, *l. impossibilium. ff. de reg. iur.* ante septimum mensem non posse, partum perfectum nasci, *l. 12. ff. de stat. hom.* non esse filiũ qui contra formã humani generis nascat̃, *l. non sunt liberi. ff. de stat. hom.* neq; illũ, q marito p aliquot annos peregrinante domi ex vxore natus sit, *l. filium. ff. de his qui sui vel al. iur. sunt*, non posse duos filios vno & eodem impetu nasci, *l. Arescusa. ff. de stat. hom.* in toto partem contineri. *l. in toto. ff. de reg. iur.* cuiusmodi axiomata satis multa, & magni effectus recensere licebit. Huc pertinent omnia illa præcepta, quæ nobis cum Ethicis sunt communia, vt videre licet *in commentariis nostris, lib. 5. Ethicorum*, item ea, quæ dialecticos vsurpari videmus, quod definitio conuertatur, cum suo definito, *l. 1. §. dolum. ff. de dolo malo*, quod genus dicatur de qualibet sua specie, & contra quod posita specie ponatur & genus, *l. 2. §. creditum. ff. de reb. cred. si cert. pet. l. legatum. §. interemtum. ff. de legat. 3.* quod sublata materia, aut forma, res ipsa & effectus quoque tollatur, *l. pacta conuenta, § fin. ff. de contrah. emt. l. qui quadraginta §. 1 ff. ad leg. Falcid.* cum id genus infinitis aliis, *vt supra de hac re copiosius.* Ex positione illa principia obtinere statui- 120
mus, † quæ ex auctoritate loquentis nobis tam certa esse debent, atq; illa, quæ ex naturæ ordine manare solent, vt sunt prima, & indubitata iuris nostri principia, illa dico, quæ ad florentis reipublicæ beatitudinem, & animæ salutem pertinent, ex iustitiæ fonte procuranda esse, contraria autem vitanda & amputanda, *l. 2. in fin. ff. de leg. l. 1. C. de veteri iur. enucl. & Iustinian. in præfat. Codicis & Digestorum, item pontifex in procemio sexti decretalium, cap. non satis, dist. 86.* Hæc principia enim præter auctoritatem imperatoriam, etiam naturalem rationem coniunctam habent, ita vt a nemine infringi possint, aut debeant. Hæc eadem principia secuti omnia, quæ ex fide catholica & orthodoxa sunt, amplectimur, & confirmamus Deo ante omnia parendum esse, *cap. Imperatores. distinct. 8.* eundem vnum esse, indiuiduam eius Trinitatem, fidem catholicam sequendam, *l. cunctos populos & tot. tit. C. de summa Trinitat. tot. tit. de hæreticis. de apostatis, ne sacrum Baptisma iteretur.* huc pertinet, *tit. de sacrosanct. eccles. de episcop. & cleric.* & pene vniuersum decretum, & multi tituli decretales. Eo-

dem pertinent illa præcepta, quæ *l. 10. §. 1. ff. de iuſtit. & iure*, inſinuantur, honeſte viuere, neminē lædere, ius cuiq; tribuere. Tertio huc referimus omnia illa, quæ licet aliter ſeſe habere poſſint, tamen ex cōſtitutione certa nobis eſſe debeant. Veluti legi a principe latæ parendum eſſe, *l. 3. C. de legib. l. conſtitut. eod. tit.* cum Deus omnem animam principi obtemperare iubeat. *c. ſolita. de maioritat. & obed. l. 1. ad reprimendum. Quemadm. ad in crimi. leſæ maieſtatis proced. cap. quoniam, c. de capit. & c. ſeq. diſt. 10.* conſuetudinem laudabilem ſequendam, *l. de quib. ff. eod. tit.* pactum & iudicatum, ſeruanda eſſe, *l. 1. ff. de pact.* quo pertinent tituli, de omnibus contractibus, ſiue expreſſis ſiue tacitis, *l. 1. & totus tit. quod quiſq; iuris alteri ſtatuerit, l. 1. & tot. tit. ff. & C. de re iudic.* vtramq; partem audiendam, *l. de vnoquoq; ff. de re iudicat.* labores & merita præmiis remuneranda, *l. 1. §. in honorariis, ff. de extraord. cognit. l. 25. §. conſuluit. ff. de petit. hered.* crimina punienda eſſe, *tot. tit. ff. de pœnis. l. bona fides. ff. depoſiti. l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil.* Eaq; principia tam prima quā mediata tanto ſecuriora ſunt, quod naturalem rationem adiunctam habeant. Non mouet quod obiici poſſet, multa eſſe pacta quæ vim non habeant, idemq; de re iudicata & aliis præceptis dici poſſe: parata enim reſponſio eſt, principia intelligenda
121 eſſe ex verbis & mente † legis. Porro quamuis legis verba generalia ſint, tamen ex ratione legi inſerta, vel quam ſilentio colligere debemus vltra mentem & voluntatem Legislatoris quam ex ratione deprehendimus, *l. non dubium. C. de legib.* porrigenda non ſunt, vt docet etiam Ariſtoteles Ethic. *lib. 5. cap. 13.* hincque etiam fit, vt ſingulis pronuntiatis ſuæ
122 exceptiones † pro natura materiæ applicentur. Accedit quod Ariſtoteles dum prudentiam ſeparat ab ipſa ſcientia, id propterea faciat, quod præcipuum munus prudentiæ ſit verſari circa ea, quæ in conſultationem veniant, vt ſcilicet de illis circumſpecte deliberemus, *vt libro ſexto. capt. 10.* aut iudicemus; quam & ipſam partem diuidit in intelligentiam & ſententiam, *cap. 11. eod. lib.* atq; ibidem aperte profitetur ſe non ſentire de intelligentia earum rerum, quæ ſemper ſunt, atq; nunq̄ nouantur, ſed earum de quibus dubitari & conſultari poteſt. Longe alia conditio, eſt iuris diſciplinæ, quæ eſt diuinarum & humanarum rerum cognitio, iuſti & in-
123 iuſti ſcientia, *l. 6. §. Iurisprud. ff. de legib.* neq; tractet de his rebus, † quæ in conſultationem veniunt, quæq; aliter ſe habere poſſunt, ſed de illis, quæ ex naturæ inſtituto vel ex poſitione, tam certa, & indubitata ſunt, vt in conſultationem amplius non deducantur. Neque ad rem pertinet, quod ſæpe

sæpe dubitetur, quomodo sc. intelligendæ sunt: nam & id philosophis e- 124
uenire videmus, dum post longam inquisitionem, † tandem sententiam
suam subiiciunt, *vt in physicor. & metaphysicor. libris facit Aristot. etiam in Ethicis & Politicis, deniq; in tractatu de anima,* vbi totum librum primum consumit in referendis aliorum sententiis, quid sit anima, & refellendis. Sufficere enim nobis debet, quod ex ipsa naturali legibusque cognita ratione, *l. cum quidam. 30. §. 1. & §. quod dicitur. ff. de acq. vel am. t. hered.* vel auctoritate constituentis, *l. nemo. C. de sentent. & interlocut. omn. iud. l. vnica. C. de sentent. quæ pro eo quod interest refer. l. fin. C. de leg.* tales quæstiones dirimantur. Est & alia consideratio, q̃ non bene percepta multis imposuit, ꝙ quamuis νομοθετικὴ & πολιτική, q̃ vno nomine, *lib. Ethicor. 1. cap. 1.* Arist. complectitur, potuerint, olim ad generalem prudentiã referri, ꝙ scil. sub consultationẽ cadebat, quæ & quales leges ferendæ essent, idq; adhuc euenire queat in legibus, quæ promulgatę sunt, emendandis atque supplendis, tamen hoc de legibus, dici non potest, quæ scripto comprehensæ sunt, & a quarum † definitione, neque iudici, neque magistrati- 125
bus sit discedendum, *l. nemo. C. de sentent. & interl. omn. ind. l. 1. & 3. l. leges, l. cum de nouo. l. fin. C. de leg. l. 2. C. de sacrilegiis,* & secundum quam se omnia iudicia disposituros iurare coguntur, *l. rem non nouam, C. de iudiciis.*

Quibus subductis, non est, quod nos de susceptæ defensionis cursu sexto excutiat prudentiæ definitio: nam cum prudentia non solum in agendo, sed etiam in cognoscendo consistat, eaq; præcipua & excellentior pars sit, *vt docet Arist. d. cap. 8. lib. 6. Ethicor.* maxime autem, si agatur de his, quæ amplius sub consultationẽ nõ cadunt, vt dictũ est, facile animaduertimus talem definitionem, † nostræ Iurisprudentiæ non conuenire. 126

In eadem conditione est septimum argumentum, ꝙ scientia non est de his, quæ aliter se habere possunt, ius ciuile esse de his, quæ se aliter habere possunt. Minorem † n. constanter negamus, quod ex his, q̃ ꝓsecuti sumus, 127
euidenter apparet, non tractari amplius de his, quæ aliter se habere possunt, sed quę expositione indubitata & inconcussa sunt, quemadmodũ & theologia ex fide. Neq; ad rem pertinet, quod multa tractentur nostro in iure, quæ in caussam suspicionis, ꝓsumtionis, item & opinionis incidant, *vt tot. tit. de probat. & præsumt. item, tit. de quæst. extra. tit. de præsumt.* cum idem quoque in aliis scientiis euenire videamus, vt in dialectica, dum tractat, de locis externis, in Physica, dum differit de meteorologicis,

in astrologia, dum disceptat de cœli & astrorum prædictione. Nam vt illud ingenue fatemur suspicionem, præsumtionem, & opinionem ad cō-
128 stituendam fidem, vel rei veritatem regulariter non sufficere, ita sane † negari non potest, vera illa iuris præcepta esse, ex nonnullis indiciis iure expressis nasci suspicionem, *l. in leg. ff. ad leg. Aquil.* ex aliis præsumtionē, *& tot. tit. extr. de præsumt.* opinionem ex aliis, *l. 3. §. diuus ff. de test.* quemadmodum vera sunt illa axiomata dialectices, ex locis externis probabile argumentum duci, item, in Astrologia, cœli constitutionem, astrorum coniunctionem vel aspectum, inclinationem continere. Diuersa caussa
129 illarum prudentiæ † functionum est, quæ ex natura deliberationis, quæ plerumque capienda est, pendent, & hoc vel alio modo explicari possunt, veluti si tractetur qua ratione quis rem familiarem augere possit, arte, negotiatione, agricultura, &c. Si in disceptationem veniat, quo pacto magistratus ciuitatis, aut ditionis sibi commissæ rationes firmare, reditus atque emolumenta nedum in tuto collocare, sed etiam cum incremento possint tueri, quæ commercia, cum quibus instituenda, quæ contra prohibenda, cum quibus fœdera, & qua conditione ineunda, sitne bellum, quod misceri, & impendere vident, suscipiendum, an tolerabili conuentione depellendum. Quæ officia, & functiones, quibus ciuibus committenda, seditioni, quę præter spem & improuiso orta sit, quo pacto medendum. Sunt id genus infinitæ consultationes, quæ in deliberationem committi, ab illis possunt, qui potestatem habent de negotio, præter opinionem emergenti, vel similibus caussis in hanc vel illam partem consulendi. Quod sane referri ad alios casus non potest, in quibus formam lege præscriptam habent. Illud tamen libenter concedam leges latas, & rationes legibus comprehensas principibus & magistratibus, in plurimis viam aperire, *l. non possunt. ff. de legib. & seq.* quid in huiusmodi consultationibus sequendum sit, alia autem tanquam bonorum moderatorum iudicio permittere, quod scilicet certam determinationem accipere non potuerint, vt ante dictum est, tamen non poterit inde inferri quod po-
130 tissima pars, a qua † res denominationem habet, *l. quæritur. ff. de statu hominum,* in tali caussa censenda sit, aut quod hæc ipsa consulta, quæ arbitrio moderatorum & iudicum, propositis tamen circumstantiis, committuntur, inferiori in gradu collocanda sunt, quod non scientiæ tanquam certæ, sed prudentiæ accepto ferri debeant. Cum dignitatem cuius-
131 que rei non ex certitudine, alioquin † Mathesis omnib. præferenda esset,
sed

ſed potiſſimum, ex fine metiamur, *vt docet ipſe Ariſtoteles Ethicorum. lib. 1. cap. 2.* vbi etiam ingenue profitetur ex hac conſideratione † palmam facultati ciuili deferendam: item, nobilitate ſubiecti, quod conſtituimus, in reb. diuinis & humanis, iuſtitiæ norma determinatis, vt inferius hanc quæſtionem perſequemur. 132

Secundum quæ non eſt, quod nos torqueat ſcrupulus, ſeptimo loco motus. Nos enim id Angelo largiri non poſſumus iuris noſtri doctrinam, quibus oportet, demonſtrationibus illuſtrari non poſſe. Cum ſtatuamus, ex cauſſis ſupra relatis, principia noſtri iuris, quibus cetera vna ſerie conſerta ſunt, non magis expugnari aut ſubuerti poſſe, quam cuiuſuis ſcientiæ, ſiue naturalia illa ſint, ſiue ex auctoritate conſtituta, cum
† vt Theologiæ principia inſigni ex parte fide nitantur, quam cum ſine 133
vulnere conſcientiæ, & æternæ damnationis periculo in controuerſiam nemo vocauerit: ita etiam ſine ſacrilegii crimine negare non poſſumus legibus ab Imperatore, aut ſuo quoque principe promulgatis, eſſe parendum, *l. 2. C. de ſacrileg.* Non diffitebimur tamen, interſuppoſitionem, vt vocant, quæ a Theologis fieri ſolet, & quæ iure noſtro ſumenda ſit, eſſe differentiam, & inter alia illud diſcriminis interlucere, quod leges ſola
ciuili ratione ſubnixæ, † ab Imperatore ex cauſſa mutari poſſint, cum in 134
fide etiam pontifex ſpiritum potius profuderit, quam quidquam infirmari patiatur, *cap. ſunt quidem 25. q. 1.* ſed reſponderi poterit, rariores eſſe, quæ naturalem rationem coniunctam non habeant, deinde vt aliquid perpetuum dici poſſit, ſufficere, quod illud in incerto verſetur, an vllo tempore res intermoritura ſit, *l. ſufficit. ff. de condict. indeb.* Leges autem omnes ſua natura perpetuas eſſe, *l. Arriani. C. de heret. l. hac edictali. C. de ſecund. nupt.* Non mouet, quod ius atque leges in materia contingenti verſentur vt ſunt hominum actiones, nam & ipſa Thelogia, Politica, Ethica, Dialectica, circa actiones verſantur. Enimuero non puto Ariſtotelem in acquiſitione ſcientiæ deſiderare, aut deſiderare potuiſſe, vt res, de
quibus tractetur, † actu ipſo æternæ ſint, ſed ſufficere ſi definito naturæ 135
tempore ſint, vt quod defectus lunæ procedat interpoſito obſtaculo terræ inter Solem & Lunam Ariſtoteles, *lib. 1. poſter. cap. 7.* aut per indeſinentem ſurrogationem id fiat, *vt de hac re copioſe diſſerimus in commentariis ad librum quintum in definitione iuſtitiæ.* Accedit quod Ariſtoteles, *in deſignato capitulo 3. Ethicorum. lib. 6. præterea poſterior. Analyt. cap. 2. 4. 5. & 9.* vbi expreſſe ea de re diſſerere videtur, non intelligatur requirere, vt res, de qua

demonstratio fiat, sit perpetua, sed vt propositiones, ex quib. conclusio elicitur, necessario perpetuæ sint, quod sane & in iurisprudẽtia euenit, cum conclusiones ex principiis necessariis ducantur, quę naturali ratione subnixæ, si nõ ꝑpetuo, vt secundũ vnũ intellectũ in definitione iustitię fieri ostendit, saltem cum homine atq; humana natura propagetur, neq; enim perpetuum mundum nobis promittere, *vt suo more. d. cap. 3. facit Aristot.* debemus.]

Cuius responsionis impetu prosternemus subsidia nono loco quæsita. Si n. certa & indubitata iuris sint principia, ex quibus demonstrationes concinnentur, consequetur quoq; hanc † cognitionem, suis caussis niti,
136 quemadmodũ non vno in loco edocemur, intelligentiam rerum ex caussis sumendam, & aliis eo pertinentib. circumstantiis, atq; membris, *l. 1. ff. de iustit. & iur. l. in omnib. ff. de reg. iur. l. placuit. ff. de iudiciis. l. 1. C. de orig. iur. l. 1. ff. de dol. mal. except. l. aut facta. ff. de pœnis, l. perspiciendum. eod. tit. l. capital. §. fin. ff. eod. l. 1. ff. de vsucap. l. vnica. C. de nundinis. Instit. in proœmio.* Et in summa in omnib. pene legib, cum vix vlla lex sit, quæ suam rationem non habeat, *cap. erit. dist. 4.* quippe quæ sit voluntas, *l. non dubium est*, & mens legis, *l. cum mulier. ff. sol. matrim.*

Non est quod nobis negotium facessat decimo in caussam deducta allegatio, simplicitatem, non subtilitatem legi amicam esse, quia hæc verba intelligenda sunt de nimia & superflua scrupulositate, ex qua non † scien-
137 tia, sed rerum obscuritas nasci solet.

138 Telum vndecimo loco excussum non † adhærescere vel ex ipsa definitione legis colligere licet, cum leges dicendæ non sint quę ratione carent, *d. cap. erit, dist. 4. l. quod non ratione. ff. de leg. l. nominis. §. 1. ff. de verb. signif. l. decernimus. C. de episcop. & cler.*

Quod autem duodecimo asseritur plerasq; leges in opinione consistere, † vt responsa prudentum, id nostræ intentioni præiudicium adferre
139 non potest, quod huiusmodi opiniones & sententiæ auctoritate principũ confirmatæ. *l. de concep. digest. l. 1. & 2. C. de veteri iur. enucl. l. 2. §. 1. Diuus Augustus. ff. de orig. iur.* a ceteris legib. non differant, & certam rationem habeant, quo casu opinio tantũ potest, quãtũ aliis verbis fides atq; veritas.

Non est quod quidq̃ conflictemur cum decimo tertio atq; vltimo argumento, cũ merita ipsius in superiorib. locis satis excusserimus. Reliquũ est vt diluam⁹, ꝙ de subiecto nõ determinato siue adæquato obiicit. Qua in re quamuis multi multa comminiscantur & temere effutiant, nos breuiter

uiter existimamus, subiectum adæquatum, † in reb. humanis atq; diuinis, 140
q̃ a forma sua iusti atq; iniusti scientia determinent, & ad æquitatis partes
reuocentur, consistere. Cuius rei fundamentum stabilius constituere non
possum, q̃ ipsam definitionem Iurisprudentiæ, quæ ex genere, materia &
forma † conflata est, quod sit diuinarum atq; humanarum rerum notitia, 141
iusti atq; iniusti scientia, *l. 10. §. fin. ff. de iust. & iur. l. 1. §. 1. eod. tit. Instit. de
iust. & iur. in princ.* Hinc contra Angelum Thyum, & Zabarellam infertur, tam late patere hanc ipsam scientiam, vt nedum Politicam siue ciuilẽ
facultatem, Legislatoriã & iudiciariam complectatur, sed etiã † vi formæ, 142
qua cõstare eandẽ ꝓposui, exerceat certa ratione imperiũ in theologiã, vt
supra rem digessimus, dum q̃ scripturæ amplectendæ, quæ contra inter
apocrypha habendæ, *cap. sancta. dist. 15.* quæ consilia probanda & canones,
c. canones. dist. ead. & cap. 1. & tot. dist. 16. statuit, item in medicinam iudicando, qui auctores potissimum legendi sint, & quod non in theoria &
praxi immunes esse possint; quales se medici præbere debeant, *l. illicitas. §.
sicuti. ff. de offic. proconf. l. 1. §. medicos. ff. de ext. cognit. l. medicus. eod. tit.* ex
quib. morbis aut vitiis seruus aut pecus redhiberi possit, *tot. tit. de ædilit. edict.* quæ salaria & præmia atque priuilegia illis decernenda, *l. ambitiosa ff.
de decret. ab ord. faciend. l. medicos. C. de professor. & medicis.* Quantum iuris
hæc ipsa facultas habeat in philosophiã ex his, quæ supra complexi sum⁹,
facile colligere possumus Oratoriam facultatem & scientiam rei militaris etiam ipsum Aristotelem huic facultati accepto ferre videmus. Porro
si de artib, imo si de reliquis tam diuinis quam humanis rebus quæramus
inueniemus, & illas ad hanc disciplinam pertinere, hactenus scil. quaten⁹
iustitię partes, quæ circa easdem natas controuersias dirimant, requirunt.
Materiam Iurisprudentiæ igitur, vt dilucide rẽ explicemus, in reb. diuinis
atq; humanis constituimus, i. omnib. illis in quib. respublica & societas
humani generis, *l. vt vim. ff. de iust. & iur.* cuius salus & incolumitas, *l. prouincialium. C. de feriis,* item beatitudo quæritur, *l. 1. C. de nundinis,* & quib.
ea institui atq; cõseruari possit. Pro cuius rei vlterioris explanatione sciẽdum est hanc materiæ consideratioẽ † bifariam iniri posse, vt vel ordine 143
compositiuo vel contra resolutiuo eãdem digeramus. Compositiuo† dũ 144
a singulis reb. ad vniuersam reipub. constitutionem progredimur, veluti a
coniunctione maris & fœminæ, & hinc patris atq; filii, *Instit. de iur. natur.
gent. & ciuil. item. tot. tit. ff. de statu hom. & de his qua sui vel alien. iur. sunt,*
dum herum & seruum etiam certo iure connectimus, *l. 2. ff. de his, qui*

sui vel al. iur. sunt, & Instit. in princip. & tot. tit. atque ex tali copulatione personarum, familiam atque domum constituimus, *l. pronuntiatio. §. familia. ff. de verborum significationib.* Ex multis domibus vicum *leg. si ex vico. ff. ad municipal.* Ex multis vicis in vnum collatis, atque incolis intra mœnia correpentibus, oppidum, *l. pupillus. §. oppidum. ff. de verb. sig.* vel ciuitatem, *l. 2. eod. tit.* Ex conuenienti oppidorum frequentia, prouinciam, *l. fin. C. de dilat.* Ex prouinciis regnum, & regnis imperium, *l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur.* producimus, & omnia atque singula membra necessario victu & supellectile instruimus, de quibus sequenti capite, & in libris politicorum latius disseremus, vt societas illa humani generis hoc vsque progressa conuenienti iustitiæ forma stabiliri, & iustitiæ bonis, quæ summa
145 ma ducimus, feliciter frui possit. Porro si resolutiuam † rationem amplecti velimus, hæc omnia, quæ iam sua serie construximus retexenda erunt. Et primum videamus quæ res necessariæ sint ad imperii constitutionem & conseruationem, inde descendamus ad regnum, mox ad prouincias, inde ordine facto ad ciuitates, vicos, domos, personas, & res singulas. Proposuimus quod Iurisprudentiæ subiectum sit. Porro ne quis
146 existimet hoc indistincte procedere, is perpendere debet, nullam esse materiam, quæ ex propria forma suam † determinationem non recipiat, & ad certos fines atque suam perfectionem redigatur. Forma igitur Iurisprudentiæ est scientia iusti & iniusti, vt scilicet his cognitis, quæ bona & salutaria reipublicæ sint, instituamus atque stabiliamus, contra quæ mala & noxia deprehendimus, amputemus, secuti principia, & illum ordinem, quem antea insinuauimus, vt hisce rationibus fulti, ad summum illud bonum florentis reipublicæ status peruenire possimus. Metimur itaque adæquatum Iurisprudentiæ subiectum, omnibus diuinis & humanis rebus,
147 quæ vna iustitiæ norma ad vniuersalis reipublicæ constitutionem referenda sunt, explosis aliorum † opinionibus. Azonis, qui triplicem materiam iuris, in exordio summæ suæ, in libros Codicis, esse iuris, constituit, generalem, communem, & propriam. Generalem vt ius, iustitiam, item negotia, præterea duo vitia, errorem & contumaciam. Communem materiam omnium principum, rudem æquitatem, ius approbatum, & id quod obseruatur pro lege. Propriam autem materiam esse Codicem Iustinianeum. Alii autem, quos videre licet apud Albericum, *in principio digestorum. Bald. in princip. tit. de iure & iustit.* hominum negotia subiecto Iuris accepto tulerunt, nonnulli iustitiam; quidam bonum & æquum,

alii vt

alii *vt Coraſ. de iur. art. lib. 1. cap. 19.* Vltimas voluntates, contractus & iudicia, in hac cauſſa eſſe conſtituerunt, quæ omnia meo iudicio recte refellit Angelus Matheacius, *lib. 1. de via & ratione iur.* Porro Chriſtophorus Ahemius, *lib. 4. principiorum iuris*, hominum actiones ſiue facta & dicta ciuilia ſubiectum iuris eſſe pronuntiat. In quam ſententiam quoque deſcendere videtur Angelus Matheacius, *in ſuo tract. de via & ratione iuris. cap. 2. n. 16.* vbi appellatione verbi, actiones, intelligit omnia facta, dicta, ſcripta, conſulta, &c. Et licet hæc obſeruatio doctiſſimorum virorum non abſurda videatur, tamen ex eo refellitur, quaſi ius ſolum diſponeret de actionibus † hominum, & non de rebus, *vt tot. tit. de adq. rerum domin. item. Inſt. de rerum diuiſione. l. 1. & tot. tit. C. de operib. pub. tot. tit. C. de ædif. priuat. de paſcuis publicis, de fundis patrimonialibus, limitrophis, & aliis infinitis in locis.* Ad conſeruandam enim hanc hominum ſocietatem, nedum hominum opera ſolum, ſed † bonis externis etiam indigemus, quæ propterea alicui vel tota addicuntur, vel ſi iam aliena ſint, legem ex impoſitione cenſus vectigalis, aliarumque indictionum, quæ mox in cauſſam publicam vertantur, accipiunt.

148 149



PANDECTIS ET CODICI IVSTINIANEO,

ORDINEM SVVM CONSTARE, ILlumque resolutiuum esse, quo finis ad sua principia reuocetur, contra omnes fere interpretes.

SVMMARIA.

1 Duo genera sunt ordinum, quibus singulæ scientiæ tradi possunt.
2 An inter hæc duo definitiuus ordo medium locum obtineat.
3 Iurisprudentiam tradi ordine resolutiuo.
4 Quis iurisprudentiæ sit finis.
5 Differentia inter finem ab Aristotele & Iurisperitis propositum.
6 Proximum fini demonstrato esse certam reipub. introducendæ formam.
7 Quando aut quibus in casibus, de noua forma reipublicæ constituenda, tractandum sit.
8 Exstinctis hominibus quibus summa rerum commissa erat, alios necessario surrogandos esse.
9 Triplicem surrogationis rationem esse.
10 Quibus summa rerum per electionem deferatur.
11 Quando successionis iure quis ad regimen admittitur.
12 Quibus, constitutionis iure, principatus deferantur.
13 Quomodo principes ad scopum iure nostro propositum viam sternere possint.
14 Caussa quare de legibus initio iuris disseratur.
15 Officium principum circa leges.
16 Adiutores principis qui, &, quod illorum sit officium.
17 Quomodo singulæ domus priuatim, &, quorũ auctoritate administrandæ.

18 Quo

18 *Quo consilio Iustinianus primo de iustitia & iure disseruerit.*

19 *Non satis est leges ferri, nisi sint qui pareant, & qui terginersantes ad obsequium compellant.*

20 *Cur libro primo de potestate parentis in liberos, domini in seruos & familiam, deinde de magistratibus disseratur.*

21 *Quid obtineat in Codice, item, iure canonico.*

22 *Non solum secularia, sed & ecclesiastica negotia in tuto collocanda sunt.*

23 *Cur magistratus mandare suam iurisdictionem possit.*

24 *De quibus caussis magistratus cognoscere possint, & de quibus pedanei iudices.*

25 *Quo consilio solemnia iudicij definita sint.*

26 *Quare titulus de pactis & transactionibus, statim post titulum, de edendo subiiciatur.*

27 *Qua de caussa titulus de negotiis gestis succedat titulo de procuratoribus.*

28 *Quae forma sit iuris canonici.*

29 *Cur ius ciuile titulos ad caussam iudicij pertinentes non omnes coniunxerit.*

30 *Iudicis officio contineri, vt secundum naturam actionis propositae pronunciet.*

31 *Quaedam actionum in rem sunt, quaedam in personam.*

32 *Actiones in rem, aut sunt vniuersales aut particulares.*

33 *Quae actiones in rem sint vniuersales.*

34 *Quae actiones in rem sint particulares.*

35 *Cur de noxalibus actionibus, item, de L. Aquilia post actiones in rem tractetur.*

36 *Actiones quasdam esse mixtas tam in rem, quam in personam.*

37 *Personalium actionum, quaedam ex contractu nascuntur, & quae illae sint, & quibus in locis de eisdem tractetur.*

38 *Quomodo in contractibus iustitiae commutatiuae, item, distributiuae officia deprehendantur.*

39 *Post actiones, quae ex contractu nascuntur, non incommode subiiciuntur aliae, quae ex quasi contractu originem habent, vt actio tutelae, item testamentaria.*

40 *Quis ordo seruetur in materia testamentaria.*

41 *Successionum quaedam sunt legitimae, quaedam vero praetoriae.*

42 *Quae remedia praetoris iurisdictione introducta sint.*

43 Actiones praiudiciales an referri debeant ad actiones in rem, an ad actiones in personam, an vero inter anomolas.

44 Non solum disceptari de rebus incorporalibus, sed etiam de corporalibus, in quibus duplex ius spectetur, dominii scilicet & possessionis.

45 Qui modi sint adquirendi rerum dominium.

46 Quaestiones de dominio vel de possessione ortas auctoritate rei iudicatae plerumq; terminari.

47 Cur titulus de re iudicata post actionem in rem & in personam subiiciatur.

48 Obligationes nonnullas contrahi verbis, alias vero delicto vel quasi delicto, & quae remedia eius rei nomine proposita sint.

49 Cur titulus de appellationibus post remedia quae supra enumerata sunt, subiiciatur.

50 Ad conciliandam reipublicae beatitudinem tria potissimum bona requiri. animi, corporis, & fortunae.

51 De animi bonis in toto pene corpore iuris disseri.

52 Circa corporis bona legis prouidentia quoq; multum potest.

53 Fortunae bona bifariam considerari, vt priuatorum, & vt publica.

54 De priuatorum bonis toto pene iure disceptari.

55 Quaedam bona publica esse ex hominum communi consensu atq; omnibus patere.

56 Nonnulla iura publica esse, quae omnibus non pateant, sed ad defendendam caussam publicam, principibus & moderatoribus reipublicae seruata sunt.

57 Quae illa sint iura.

58 Concordem principum & subiectorum conspirationem, ad florentem reipub. statum inducendum requiri.

59 In titulo de regulis iuris generalia quaedam principia iuris tradi.

60 Alia princia quae inter haec, quae dicta sunt, emineant.

61 Quae sint prima & immediata Iuris principia.

62 Tria illa praecepta, honeste viuere, neminem laedere, ius vnicuiq; suum tribuere, non esse prima iuris principia, & ratio.

63 In principe nedum iustitia particularis, sed etiam prudentia, & alia virtutum ornamenta requiruntur.

64 Idem quoq; obtinet in magistratibus, theologis, Iurisconsultis, philosophis.

65 Leges nostras etiam curam & diligentiam requirere.

66. Legis

66 *Legis virtus in quibus consistat.*
67 *Cum non omnes voluntate pareant, opus est ministerio illorum, quorum auctoritate ad obsequium vrgeantur.*
68 *Variæ auctoritates, quibus prima iuris principia confirmentur.*
69 *In omni lege, canone, & constitutione, præterea consuetudine, rationem exigi.*
70 *Effectus rationis.*
71 *Quid differentiæ sit inter hæc duo; æquum ab iniquo separare, & licitum ab illicito discernere.*
72 *Lumen diuinæ rationis omnibus aliis præferendum esse.*
73 *Quæ rationes in electione Pontificis concurrant.*
74 *In electione Imperatoris nedum humana, sed etiam diuina iura interuenire.*
75 *Quo pacto hæ rationes cumulentur in caussa pietatis.*
76 *Quæ iura interueniant in condendo testamento.*
77 *Cui rationi accepto ferendum sit, quod in testamento septem testes requirantur.*
78 *Multa exempla, in quibus sola ratio ciuilis ius constituit.*

Quo ordine iurisprudentia a legislatoribus, vel illis, qui Pandectas & Codicem ex variis Iurisconsultorum libris, necnõ constitutionibus imperialib. concinnarunt, tradatur.

PRo dissolutione propositæ quæstionis excutiendum esse videtur; quod cum duo potissimum sint ordinum genera, † *vt docent Angel. Matheacius de via & ratione iuris, lib. 1. cap. 28. nu. 14. Franc. Picolomin. in suo comite politico part. 6. Iacob Zabarel. de method. lib. 2. cap. 4. Ioan Coras. in lib. 2. de arte iuris, cap. 7.* quamuis † & definitiuum agnoscat, qui ad duorum alterum, *auctore eodem Picolomineo*, referri debet, an ius nostrum resolutiuo, an compositiuo ordine procedat. Quã in disceptatione † puto rei euidentiam coarguere, quod a propositione finis, quem iam sæpe pronuntiamus † esse optatum reipublicæ statum, ex iustitiæ bonis efflorescentem, *l. 1. §. 1. ff. de iust. & iur. l. humanum. C. de legib. l. 1. C. de nundin. Instit. in princ.* dum ait: *Imperatoriam maiestatem, non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, vt vtrumq; tempus & bellorum & pacis recte*

(margin numbers: 1, 2, 3, 4)

possit gubernari.item l. 1. de concept. digestorum, vbi ait, *Deo auctore nostrum gubernante imperium, quod nobis a cœlesti maiestate traditum est, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum reipublicæ sustentamus*; quæ verba aperte innuunt ex congruenti vtriusque temporis moderatione hunc florentem statum nasci. Est deinde & alius scopus, quem neque A-
5 ristoteles, † neque Iurisconsulti ethnici agnouerunt, sed depulsa paganismi caligine, primo illustrari & coniungi cum alio fine cœpit animæ salus, *l. 1. & tot tit. C. de summa Trin. l. fin. C. ad leg. Iul. repetund. cap. 1. & 2. de summ. Trinitat. cap. frustra. dist. 8. cap. Imperatores. dist. 9. cap. fin. de consuetud. cap. fin. de præscript.* Porro præter hos fines, alium, qui excellat, & quo, tanquam ad finem & principium omnia referenda sunt, ex proxime allegata constitutione Deo nobis. *ff. de concept. ff.* intelligimus, scilicet vnum Deum, de qua infra copiosius. Porro cum florentem reipublicæ statum nullo pacto nobis promittere possimus, nisi ponamus, esse homi-
6 num societatem, *l. vt vim. ff. de iust. & iur.* & certam † reipublicæ formam, *leg. 2. ff. de origine iuris*, idcirco proximum scopo, quem proposuimus, esse videtur, vt de certa reipublicæ forma introducenda *l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur.* vel de constitutæ reipublicæ optima administratione, *d. l. ex hoc iure*, dispiceretur. Quamuis enim nostra ætate rarum sit, *vt*
7 *antea diximus*, vt de † inuehenda reipublicæ forma cogitemus, tamen illud aliquando necessarium esse animaduertimus, si vastæ & incultæ regiones nouis cultoribus occupandæ, vel si domitis bello barbaris atque infidelibus huiusmodi consilia suscipienda sint. Deinde exstinctis his,
8 quibus summa † rerum commissa erat, alios necessario surrogandos esse,
9 res ipsa † declarat, quod electionis, successionis, vel constitutionis iure,
10 explicari solet. Electionis † vt in Pontifice, *capit. licet. de electione, cap. vbi, eodem titulo, in 6. cl. ne Romanis. eod.* Imperatoris, *cap. venerabilem, de electión. in aurea bulla Caroli Quarti.* Hac electionis forma etiam alios præsules designari videmus, vt Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, &c. *cap. cum in cunctis. & cap. vt circa, de electione*, imo hac eadem ratione nonnunquam optimatibus deferri regimen solet, vt in liberis Germaniæ ciuitatibus, item in Senatu Romano, antequam vniuersa potestas ad Imperatorem transiret, *dict. leg. 2. ff. de orig. iur. §. deinde quia difficile*, item, in decemviris auctoritate populi constitutis, *dict. leg. 2. §. postea ne diutius hoc fieret*, nonnunquam principi, vna cum suis proceribus, vt Venetiis, item in populo Romano, dum Dictatoris & Senatus imperio

perio regitur, *dict. leg. 2. §. populo deinde aucto. ff. de orig. iur.* Hæc de electione. Successionis autem iure deferuntur † regna, *cap. licet. de voto & voti redemtione*, ducatus, marchionatus, & alii principatus, de qua re fusissime Andr. Tiraq. *in tract. de iure primogeniorum, quæst. 4. num. 16. & seq.* Iustus Lipsius, qui pereleganter hanc inspectionem prosequitur *Politicor. lib. 1. c. 1. 2. 3. 4. & seq.* Constitutionis iure nonnunquam principatus deferri † animaduertimus, cum Imperator ex caussa feudi, quem ducem, marchionem, comitem, declarat atq; constituit, *cap. 1. & tot tit. quis sit dux, marchio, comes, cap. vnico. de feudo marchiæ. §. præterea, de prohib. feud. alienat. per Frideric. im.* Reuocata autem ad certam formam reipublicæ administrandę ratione, & illis, penes quos regimen esse debeat, constitutis siue principem esse ponamus, siue optimates, siue populum, siue conflatum ex coniunctione ordinum certum personarũ numerum, statuo eos omnes suas cogitationes, consilia, conatus, ad scopum a nobis propositum conferre debere, quod haud difficulter † consequentur, si principes & magistratus in recte imperando, *l. 2. §. nouissime. ff. de orig. iur.* illi inconuenienter parendo *ex leg. 3. C. de leg.* requisitas partes accommodent. Et quamuis hæ partes iustitiæ, quas principes, magistratus, & alii, de quibus suo loco, tam publice, quam priuatim accommodare solent, proximum locum ad moderationem status a nobis † propositi obtinere soleant, tamen quod id ex præcepto legum, quibus se etiam alligatos fatentur, *l. digna vox. C. de legib.* præstare soleant, non incommode quædam generalia, ne in ignotis versemur, de legibus statim ab initio operis tam digestorum, quam Codicis & decretalium, licet de remotiori principio, commemorantur. Incumbit enim principibus, aut aliis reipublicæ moderatoribus, vt leges ex his fontibus, de quibus postea, deductas, quibus illi, qui eorum potestati concrediti sunt, tanquam vinculis quibusdam atq; tenacissima compage alligati, in vnum reipublicę corpus coalescere possint, † a prædecessoribus promulgatas, & multorum seculorum vsu confirmatas, quo in numero præcipue auctoritatem sacrę scripturæ esse constituimus, & conciliorum, quę semel auctoritate Ecclesiæ Catholicæ suscepta, *cap. 1. 2. 3. dist. 15.* amplius in disceptationem reuocari non debent. *l. nullus. l. sancimus. l. nemo. & alia leges seq. C. de sacrosf. eccles.* ab omnib. custodiri præcipiant. *l. 3. C. de leg.* idemq; pari ratione de laudabili consuetudine. *l. de quibus. ff. de legib. & tot tit. extr. de consuetud.* edicant. Deinde, vt si quid deesse præteritis legibus & constitutionibus, vel quid perperam receptum esse animaduertant,

id corrigere, & ad iustitiæ normam restituere conentur. *cap. non debet. de consanguinit. & affin. Nouell. 3. leg. 1. & tot tit. ff. de legib.* Porro cum, vt dixi, principes ad suam sollicitudinem reuocare debeant, vt leges ad hunc modum conscriptæ, correctæ & promulgatæ vtilitatem sui effectu commendare possint, curare debent, vt easdem leges conuenienti interpreta-
16 tione illustratas, vel auctoritate † consilii sui, *l. fin. & l. humanum, infra de legib.* per professorum industriam, qui docendi peritiam, facundiam dicendi, explicandi subtilitatem, & copiam disserendi habeant *l. vnica. C. de professor. qui in vrbe Constantin. lib. 12. §. responsa prudentum. Instit. de iure natural. gent. & ciuil.* per se, quod in arduis negotiis plerumque requiritur. *l. addictos. C. de episcop. audient. l. fin. C. de legib. caput. quid culpatur, 23. quæst. 1. cap. regula dist. 18. l. fin. vbi Senatores vel clariss.* vel per magistratus a se constitutos, adhibita caussæ cognitione, & consideratis omnibus rei
17 meritis atque circumstantiis, idque publice; priuatim † autem, quibus lege singularum familiarum, vel cuiusque domus potestas atque administratio, vt parentes, herus, tutores, curatores, &c. commissa est, ad effectum perducat. Hoc enim modo recte imperare, & qui ad ipsius iurisdictionem pertinent conuenienter parere, *l. 3. C. de legib.* quæ duæ sunt constituendæ florentissimæ reipublicæ rationes intelligentur, si adiungamus & tertiam, quæ ex iisdem exsistit atque efflorescit, vt omnes cogitationes, consilia, & conatus conferamus, ad consulendum bono publico, cum animarum salute coniuncta, & deinde rebus priuatis, quantum sine præiu-
18 dicio maioris boni esse possit. Hinc animaduertimus † imperatorem Iustinianum, & illos, quibus eius rei cura incubuit, iustum rerum ordinem secutos, primum de iustitia & iure, *vt tot. tit. ff. de iustit. & iur.* deinde de forma reipublicæ *l. 1. & 2. ff. de orig. iur.* de constitutione Imperatoris, vt ius canonicum, de electione Pontificis, & aliorum antistitum, mox de le-
19 gibus differere, *vt antea admonuimus.* & quod non satis † esset leges ferri, nisi essent qui parerent, quique tergiuersantes ad obsequium compellerent, de vtriusque officio explicare, *vt l. 3. C. de legib. tot tit. ff. de statu hom. item de his, qui sui vel al. iur. sunt, de adop. de diuis. rerum.* in quibus expli-
20 catur, † quæ potestas atque auctoritas cuiusque parentis in liberos, domini in seruos, & familiæ sit, vt his reipublicæ cunabulis bene digestis transitum ad magistratus faciat, penes quos totius reipublicæ vel insignis partis moderatio esset, subiiciens titulos *de senatoribus, de officio consulis, de officio præfecti prætorio, de officio præfecti vrbis, de officio quæstoris, de officio prætorum*

torum, proconsulum, præsidum, rectorum prouinciæ, quo pertinent multi alii tituli in primo libro Codicis † comprehensi, *de episcop. & cleric. de episcopal. audient.* in iure canonico, *de electi potestate, de auctoritate & vsu pallii*, item *de officio ordinarii*, &c. quod nedum secularia negotia, sed † & ecclesiastica in tuto collocanda fuerint. Porro cum hi magistratus omnibus negotiis superesse, atque disceptationi ciuilium caussarum audientiam † accommodare non possent, euenit, vt mandare iurisdictionem & aliis delegare huiusmodi caussas cœperint. *ff. de eo, cui mandat. iurisdict. est*, hincque *lib. 2.* statim titulus subiicitur *de iurisdictione omnium iudicum*, eodemque pertinent omnes alii tituli sequentes, qui expediunt, quæ potestas magistratuum, & ab illis datorum iudicum, quodque officium illorum sit. Ex qua deductione animaduertere licet quam secure, imo inconsiderate Zabarella in hæc verba prorumpat, vt illos qui se nunc temporis Iurisconsultos profitentur, de sola hac iudiciaria facultate, quę tractet † de iudicib. a magistratu constitutis, cognoscere statuat, cũ hi iudices de caussis criminalib. item, de ciuilib. caussis, quæ arduę & magni momenti sunt, nullo modo disceptare possint, *l. 1. ff. de eo, cui mandat. iurisdict. est l. nequidquam. §. 1. ff. de offic. proconsl. l. nemo. l. omnia. ff de reg. iur.* Porro cũ magistratus & iudices præcipitanter, vel vno litigantiũ audito, partes suas accommodare nequeant, hinc nõ immerito, & ne affectib. occœcati. potestate sua ad opprimendos innocentes abutantur, ordo † atque solemnia iudicii definita sunt; ad quæ singulæ caussæ reuocari debeant, initium sc. faciendũ esse a partis aduersę vocatione, *l. 1. & tot tit. ff. de in ius voc. l. 1. & tot tit. si quis caut. iud. sist.* & quandoquidẽ ipsi ad deliberãdum tempus dari solet, subiiciuntur sequentes tituli, *de eden. de pact. de transact.* quod reus † sc. ad se muniendum, & exceptiones suas, si opus foret, probandas, postulare ab actore possit, vt edat instrumẽta ad rem pertinentia, itẽ, vt pari ratione tabelliones compellantur ad editionem instrumẽtorum, iudices ad actorum exhibitionem vrgeantur. Porro si excussis huiusmodi documentis, reus fortasse inueniat, caussam dubiam & perplexam esse, hoc casu vel exorare actorem solet, vt aliquid de iure suo remittat, per pactionem, vel, vt tempus proroget, aut deniq; cum illo transigere. Quod si autem, non putet sibi huiusmodi rationẽ expedire, & propterea velit iudicio contendere, reliquum est, vt aduocatos & procuratores circumspiciat, hinc subiicitur † tit. *de postulan. de procurat.* & propter vicinitatem materiæ, *de negotiis gestis*. vt horum opera, vel apud arbitros communi cõsensu electos, *tot tit.*

Margin numbers: 21 (line 2), 22 (line 4), 23 (line 7), 24 (line 15), 25 (line 22), 26 (line 26), 27 (line 36)

*de recep.arbit.*vel apud iudices competentes,ſuoque ordine ius ſuum proſequatur, *vt tot.tit.de iudic. & vbi quiſq; ager. vel conuen. debeat*. Eadem
28 pene forma † iuris Canonici eſt. Nam cum primo libro de variis dignitatibus & officiis, & nedum de ordinariis iudicibus, ſed etiam de legatis, delegatis arbitris expoſitum eſſet,*lib.2.tit.de indiciis,de foro cōpetenti*,& cōuenienti ſerie progrediendo,de libelli oblatione,de litis conteſtatione,de dilationibus, de feriis,de ordine cognitionū, & quod poſſeſſionis cauſſa præcedere debeat,de cauſſa poſſeſſionis & ꝓprietatis,de reſtitutione ſpoliatorum, de dolo & contumacia. Præterea cum non ſatis ſit,rem libello propoſuiſſe, niſi iure cognita ratione etiam probetur, congruenter ſubſequitur tit. de probationibus,de teſtibus, de præſumtionibus, de iureiurando,inde de exceptionibus,cum ſecundum definitionem;*l.ſiquidem.C. de excep.* reus tum demum ſuam exceptionem probare debeat, cum actor intentionem ſuam impleuerit, mox de ſententia & re iudicata, inde de appellationibus, ſi quis forte per ſententiam ſe læſum arbitrando ad hoc
29 auxilium confugere velit,qui tituli iure ciuili,non quidem † cōiunctim, ſed tamen ſuo ordine,id eſt,expoſitis,quæ ante ſententiam cognoſcenda erant, quam partem pene intactam, quod ad res ſeculares attinet, ius canonicum reliquit, ponuntur. Nam cum eiuſdem iudicis officio † conti-
30 neatur,vt ſecundum naturam actionis propoſitæ pronuntiet, *l. vt fundus. ff.comm.diuid.l.ſi. C.de fideic.libert. c.licet heri.extr. de Symo.*& actionū quæ-
31 dam in † rem ſint, quædam autē in perſonam, & illæ quidem aut vniuer-
32 ſales,† aut particulares,non incommode ſubnectunt tit. † *de inof. teſta. de*
33 *petit.her.* Deinde progrediendo ad particulares actiones in rem,ſubiiciūt
34 tit.de † rei vindicat. de public. in rem act. de iure emphyteut.de vſufruct. de ſeruitut. vrbanorum,ruſticorum prædiorum,ſi quadrupes pauper. fe-
35 ciſſe dicatur, de actionibus noxalibus,quod † noxa caput ſequi ſoleat,& quia hæc noxæ deditio plerumq; propter damni iniuriam a ſeruis datam procedere conſueuit,hinc etiam tit. ad legem Aquiliam inſeritur. Subſe-
36 quuntur † tituli finium regundorum, familiæ erciſcundæ,communi diuidundo,tanquam mixtæ naturæ,quod partim in rem ſint,partim in perſonam. Porro cum ante litem conteſtatam plerumq; interrogationes in
37 iure fieri ſoleant,hinc ille tit *lib.11.* ſubiicitur. Porro † *lib.12.* tranſitum faciunt ad actiones perſonales. Et quia quædam ex contractu naſcuntur,vt mutui,commodati,depoſiti,pignoratitia,mandatū, pro ſocio,emti,venditi,locati,conducti, dotis, donationis, propter nuptias, & id genus aliæ actio-

actiones, recte de illis conſequenter diſceptatur. In quibus, ſi perſonas
contrahentium ſpectemus, iuſtitia commutatiu † relucet, quod ſi vero 38
officium iudicis inſpiciamus, cum is ſecundum nat .ram actionis propo-
ſitæ pronũtiare cogatur, vt vnicuiq; ſuum tribuat, hic meo iudicio diſtri-
butiua iuſtitia vim ſuam exſerere deprehendetur. Idem & in illis † obli- 39
gationibus & actionibus fieri conſtituo, quæ ex quaſi contractu naſcun-
tur, vt in actione tutelæ *tit. 1. lib. 26. & ſeq. tit.* actione teſtamentaria, *vt tit. 1.*
qui teſtam. facere poſſ. & quemad. teſtam. fiat, vtiq; neceſſe fuit de natura te-
ſtamenti & membris eodem pertinentibus diſſerere. Vnde † ordine reſo- 40
lutiuo propoſita vtilitate teſtamẽti, omnia ipſius membra & affectiones,
quod etiam ante in contractib. factum fuit, accurate excutiuntur. Et cũ
non ſolum ſint † ſucceſſionis legitimæ, & inde naſcentes actiones, verum 41
etiam prætoriæ, non intempeſtiue, poſt tit. de teſtamentis, inſtitutionib.
ſubſtitutionib. legatis, fideicōmiſſis, legis falcidiæ, ſenatuſcōſulti Trebel-
liani, ſubnectunt, titul. de bonorum poſſeſſionib. quæ auctoritate præ-
toris deferri ſolent, ſecuti cōſiliũ ante a me propoſitum, vt eo pertinentia
iura ordine ſubtexerent, & ꝙ ex eadem † Prætoris iuriſdictione etiam alia 42
remedia iuris proficiſcerentur, vt de operis noui nuntiatione, de damno
infecto, de aqua plu. arcend. eadem in librum 39. contulerunt, cum mul-
tos libros præcedentes in materia propoſita conſumſiſſent. Porro cum
dubium eſſet, an actiones præiudiciales † in rẽ, aut in perſonam eſſent, & 43
fundamentum in eo conſiſteret, an aliquis ſeruus eſſet, an non, ideo mul-
ta de manumiſſionibus & de ſtatu liberis poſt ordinem illum realium &
perſonalium actionum *lib. 40.* differuntur, vt cognoſci poſſit, an intentio
qui ſe dominum, contra qui ſe liberum profiteatur, ſubſiſtat. Deinde cum
actiones † nedum ratione proprietatis aut iuris principalis, ſed etiã inter- 44
dicta ex cauſa poſſeſſionis in iudicium deducantur, conſectarium fuit, vt
etiam de illis diſſereretur, quod tamen cõmode fieri non potuit, niſi prius
de acquirenda poſſeſſione, & de præcipuo eius effectu, dominio ſcilicet,
quod nedum ex occupatione. † *l. quarundam. ff. de acq. rerum domin. & toto* 45
pene tit. ſed ex traditione plerumq; quæri ſolet, *l. nunquam. eod. §. per tradi-*
tionem. Inſt. de acq. rer. dom. de acq. vel amit. poſſeſ. ſubiecit, & mox de vſuca-
pionibus, & ſequentibus libris, de interdictis, de exceptionibus, de re iu-
dicata, quod ſcilicet poſt longam, de propriet. vel de poſſeſ. actoris, diſce-
ptationem, & rei exceptionem † controuerſia per ſententiam terminãda, 46
& dict. tit. de re iudicata, & ad effectum producenda eſſet, *tot tit. de reb:*

auct. iud. possid. & ve[illegible] item C. de exsecut. rei iud. hæc, si personam actoris spectemus: In rei [illegible] abet talis sententia etiam effectum suum, vt exceptionem rei iudi[illegible] Cur autem Iustinianus post titulum de re iudicata & eodem pertinentia non subiecerit titulum de appellationibus, ipse Iustinianus aperit in constit. *dedit nobis. §. totius autem extrema.* Plus diffi-
47 cultatis habet † illa cōsideratio, quod materiam de re iudicata præposuerit sequentibus titulis. Sciendum itaque est, quod cum iudiciorum solemnia ad omnes actiones, quæ in rem, quæque in personam sint, pertineant, & illa, quæ dignitatis iure præcedunt, ipse Iustinianus in caussis ciuilibus pro insigni parte absoluisset, nedum arbitrii, sed conueniens videbatur, hunc ipsum titulum, & eo spectantia iura subtexere. Libro 44. *tit.*
48 *5.* subiicitur † generalis titulus *de oblig at. & act.* mox autem succedit titulus *de verb. oblig. de nouat. & fideius.* vt scilicet exponantur illæ obligationes, quæ verbis contrahi solent, & inde nascentes actiones. Ceterum *lib. 47. & lib. seq.* tractatur de illis obligationib. & actionibus, quæ ex delicto vel quasi proficisci solēt. Si igitur aliquis se ex maleficio alieno læsum putet, is instituta accusatione consequi poterit, vt damnum sibi illatum sarciatur, vel vt admissum scelus pœna improbitati debita, coerceatur. Porro si condemnatus, tam in ciuili, quam criminali iudicio, se contra formā iuris læsum existimet, propositum eidem est prouocationis remedium,
49 † vnde etiam sequitur *tit. de appellat.* Hactenus igitur quomodo priuatorum res in tuto collocari possint, auctoritate eorum, quibus ea cura commissa est, vt parentis, patrisfamilias, tutoris, curatoris, idque priuatim. Publice per magistratus & iudices.

Porro cum ad beatitudinem reipublicæ tria potissimum bona requi-
50 rantur, vt docet *Arist. lib. polit.* † *7. cap. 1.* animi, corporis & fortunæ, atq; in eo genere excellant ornamenta animi, quæ iustitię & prudentię, & alia-
51 rum virtutum dotibus nitantur, atque de his totis † Digestorum & Codicis libris vbique differatur, consequens quoque fuit de aliis reipublicæ subsidiis dispexisse. Et quamuis corporis bona naturæ potissimum acce-
52 pto ferre debeamus, tamen † legis prouidentia etiam multum potest, dum per caussam matrimonii & procreationis immortalitati quodammodo consulit, *l. pronuntiatio, §. 1. ff. de verb. sig.* dum sanitatis rationem habet, summotis his, quæ inficere possent, *ff. de cloacis, & l. ædiles. de via public.* dum illis præstat ab omni periculo & inuasione, *leg. 1. & tot tit. ff. ad leg. Corn. de sicariis*: dum qui ciues aut municipes esse possint, & mune-

muneribus nobiscum frui, sibi atque suis, & reipublicæ prospicere, definiunt, *l. 1. & tot. tit. ff. ad municipal.* Porro quod ad fortunæ † bona attinet, illa etiam ad felicem reipublicæ statum necessaria esse nemo negauerit. Illa autem bifariam considerari possunt. Primo, vt priuatorum fortunæ, deinde, vt bona & commoda publica: quomodo autem priuatim quis facultates comparare possit per occupationem rei vacantis, per culturam rerum suarum, per mutua commercia, id multis retro titulis expositum est, quod scilicet ea materia a † reliquo tractatu diuelli non posset; quodque priuatorum patrimonio, legum auctoritate firmato, & florescente, tanto expeditior ratio esset, ea subsidia comparandi, quibus caussa publica asseri possit, cum imperii congruenti moderatione. Pro cuius rei euidentiori intellectu sciendum est, quædam publica esse, ex cõmuni † consensu hominum, vel auctoritate eorum, qui id statuendi ius habebant, *l. ne quid in loco publico. §. viarum. ff. ne quid in loco publico fiat*, vt sunt viæ publicæ, nauigationes, fluminum pontes, aquæ ductus, fora, portus, opera publica, de quibus *in tit. de operib. publ. lib. 8. C. item. tot. tit. de aquæductu, item. ff. de operib. pub. de nundin. de pollicitat. &c. lib. 50. tit. 10. & seq.* Quædam rursum † sunt publica iura, quæ non cuiuis, ex populo patent, sed ad defendendam publicam caussam principibus, & quiuis operam domi militiæque dare debent, decreta sunt, vt tanto facilius sustinere sumtus, ad conuenientem statum tuendum, & reipublicæ incommoda propulsanda, possint, hincque non incommode, in nouissimis tã digestorum, quam Codicis libris tractatur, *de iure fisci*, † & aliis eodem pertinentibus, de censibus, de tributis, de annonis, de indictionibus, de aliis muneribus, tam personalibus, quam patrimonii, aut quæ mixtam caussam habent. Cum enim principum sit recte imperare, eorum autem qui eius imperio coercentur, conuenienter parere, *vt antea dictum est*, vnanimi consensu in hoc conspirare debent, vt collatis in vnum viribus commoda reipublicæ stabiliri, pericula, quæ ab hoste vel aliunde impendent, per se duces, milites propulsare, iusta contributione facta possunt: hinc principes suo ærario parcere non debent, *vt Nouell. 8. vt iudices sine quoq; suffragio fiant. §. cogitatio, l. fin. de rogat. milit. annon. lib. 12. l. 2. C. a quib. muner. non liceat sese excus. lib 10.* & contra illi, qui sub vmbra eius imperii delitescunt, solemnes collationes, & ex caussa publicæ necessitatis & vtilitatis indictas recusare non possunt, *l. forma, & tot. tit. ff. de censibus. item. tot. tit. de munerib. & honoribus. C. de tribut. & annon. lib. 10. & aliis*

53 54 55 56 57

58 *titulis. seqq. vsque ad finem Codicis*, vt concordi † conspiratione ad illam beatitudinem tam reipublicæ, quam ipsius animæ, cum a corporis compage soluetur, freti, virtutum corporis & bonorum subsidiis, viam mu-
59 nire possint, quod haud difficulter † consequentur, si nedum illas generales definitiones, quæ titulo, *de regulis iuris*, proponuntur, item illa
60 quæ insinuantur, *leg. ex hoc iure. ff. de iustitia. & iure.* dominia † distinguere, agris terminos ponere, ædificia collocare, commercia instituere, quæ, nec non alia, se per vniuersum ius exserunt, nec non tria illa generalia præcepta, honeste viuere, neminem lædere, ius cuique suum tri-
61 buere, de quibus, *l. decima. §. 1. ff. eod. titul.* sed etiam illa prima & immediata iuris principia, † in consilium adhibeant, vt æquum ab iniquo, licitum ab illicito, *l. 1. §. 1. ff. de iure & iust.* separent atque distinguant, eaque legum vinculis astricta obseruari curent. Quamuis enim Corasius, *lib. de arte iuris cap. 25.* item Angelus Mathcacius, *de via & ratione iuris lib.*
62 *2. cap. 7. numero secundo.* prima principia † tribus præceptis antea relatis accepto ferant, tamen meo iudicio labuntur, nisi verba tribuendi, in latiori significatione accipiantur, vt fieri posse, si aliqua necessitas cogat, vel vtilitas suadeat, non nego, tamen ipse Angelus, *d cap. 7. lib. 2. n. 9.* in sententiam nostram tandem duo principia constituit, æquitatem & legem, quæ tamen sua interpretatione indigent, *vt mox apparebit.* Etenim quod hæc præcepta, de quibus diximus, secundaria sint, inde me-
63 tiri † possumus, quod principibus, nedum iustitia particularis, sed vniuersalis, maxime autem prudentia requiratur, *l. vnica. de nouo Codice componendo. l. vnica. de Iustinianeo Codice, & multis legib. seq. l. humanum. C. de legibus. l. omnium. C. de testam. l. penult. de his quib. vt indig. Iustus Lipsius, Politicorum libro primo. cap. 1. & cap. septimo.* quæ scilicet præire, & ducere ad recte faciendum debet. Vnde sapiens ecclesiast. cap. 10. *Væ terra cuius puer Rex est, Chassan. in catal. gloria mundi, partic. 5. consid. 10.* vbi præter iustitiam infinita alia ornamenta in principibus requirit. Ea-
64 dem etiam de † magistratibus dicenda sunt, vt & in his eximiam prudentiam requiramus, *leg. humanum. Codic. de legibus. leg. prima. ff. eodem. titulo. l. obseruandum. ff. de offic. præsid. cap. sit. rector. distinct. 43. capite non potest. 23. quæst. 4. cap. est iniusta. eod. tit.* Huc pertinet, quod etiam in Theologis requirant eminentem, illam fidei, & rerum supernaturalium scientiam, *cap. ignorantia. cap. omnes, dist. 38. cap. 1. de scrutineo.* In Iurisconsultis

sultis peritia docendi, interpretandi subtilitas, & facundia dicendi, atque differendi copia necessaria sit, *l. vnica. C. de profess. vrbis Constant.* in medicis experientia, & excellens peritia, *l. illicitas, §. sicuti medico,* in philosophis vera non fucata philosophiæ disciplina, *l. in honorib. delatis. §. philosophus. ff. de vacat. & excus. mun.* in ceteris hominibus conueniens prudentia requiratur, dum in nonnullis contractibus culpa lata, in aliis culpa leuis, in quibusdam culpa leuissima præstanda sit, *l. contractus. ff. de reg. iur. l. lata. ff. de verb. sig.* Accedit. † quod eadem ratione requirant con- 65
gruentem curam, & diligentiam, *d. l. contractus.* item decora fortitudinis; nedum in milite, sed & magistratu, & priuatis personis, & id genus alia ornamenta, de quibus disserimus, Ethicorum *lib. 5. cap. 1.* Et quamuis me non fugiat, hæc verba latiorem significationem recipere posse, maxime cum vltima clausula, ius vnicuique suum tribuere, ad omnia referri possit, tamen ex quo hæc vocantur iuris præcepta, facile apparet illa succedanea esse, maxime cum alia iuris principia sint constituta, æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere, & legis virtus † non solum 66
in præcipiendo consistat, sed & in vetando, permittendo, puniendo, *l. 7. ff. de legib.* præsumẽdo. *tot. tit. extr. de præsum. & prob.* fingendo. *l. si is qui, pro emt. 15. cum simil ib.* admissa & illa consideratione, quod quamuis principes ad huiusmodi præcepta se alligatos profiteantur, *l. digna vox est, C. de legib.* tamen ex quo legibus ciuilib. soluti sunt, *l. prin. ff. de legib.* quia videantur, proprie ad subiectos pertinere, quos necessitas manet legib. obsequendi, *leg. 3. Cod. de legib.* & non omnes voluntate † pareant, & ideo opus sit 67
ministerio illorum, quorum auctoritate ad obsequium vrgeri possent. Hæc eadem principia aliis quidem verbis, sed plane in eandem sententiã, inculcat Iustinianus, *l. vnica, de concep. digestorum. §. 1.* in hæc verba. *Cum itaque nihil † tam studiosum, in omnibus rebus inueniatur, quam legum* 68
auctoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit, item, *l. secunda. ff. de legib. lex omnium diuinarum atque humanarum rerum regina. Oportet autem eam esse præsidẽ & bonis & malis, & principem, & ducem esse, & secundum hoc regulam esse iustorum & iniustorum, & eorum, quæ natura ciuilia sunt, animantium, præceptricem quidem faciendorũ;* quæ verba cũ satis dura ex trãslatione sint, adiicio vt Græce sunt cõcepta, ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι καλῶν, καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα, τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων· προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγ-

γευστικὸν δ' αὖ ἐποιητέον. His respondent illa, quæ in præfatione scripta reliquit Clemens eo nomine septimus pontifex, iura eo pertinere, vt exstirpent vitia, & virtutes inserant, hoc autem legib. & canonib. explicandum esse, quæ illa, quæ certa sunt, & vtilia, confirment, quæ vero ambigua erant per opportunæ determinationis suffragium tollant, lites auferant, altercationes diriminant, obscura succidant, corrigant, excessus moresque reforment. Sunt igitur, vt dilucide rem expediam, primaria & immediata iuris nostri principia, scilicet, vt quis æquum ab iniquo non simpliciter, sed ducta rationis naturalis, separet; licitum ab illicito eiusdem vel ciuilis rationis aucto itate distinguat, *d.l. 1. §. 1. ff. de iust. & iur.* hinc recte
69 in omni lege, canone, constitutione, consuetudine, † rationem exigimus, *cap. erit. dist. 4. cap. fin. extr. de consuetud. l. nominis. §. 1. ff. de verb. sig.* hinc ius ipsum ars boni & æqui vocatur, *d. l. 1. ff. de inst. & iur.* hinc illa definitio, quod in omnib. maxime in iure, æquitas spectanda sit. quodq; æquitatis non stricti iuris debeat haberi ratio, *l. placuit. C. de iudiciis, l. posthu. C. de lib. & posth. hered. instit. l. 4. ff. de seruitut.* inde adeo euenit, vt ratio, † mens legis, *l. communia. ff. sol. matr.* voluntas legis *l. non dubiũ. C. de legib.* appelletur, quod re-
70 stringat dispositionem legis, *l. ita depositioni. ff. de administrat. tut. & curat. l. adigere. §. quamuis. ff de iure patronat.* augeat dispositionem legis, *l. regula. §. fin. ff. de iur. & fact. ignor. l. illud, ff. ad leg. Aquil.* omnesq; illos effectus habeat, quos proximo capite persecuti sumus. Quid autem diffe-
71 rentiæ inter hæc duo sit, æquum † ab iniquo separare, & licitum ab illicito discernere, ibidem quoque non dissimulaui. Prior enim pars ad iustitiam particularem, posterior ad vniuersalem pertinet, quę prudentiam, fortitudinem, temperantiam etiam exigit, & deinde multa præscribit, quæ ex ciuili ratione sola, quod raro accidit, vel naturali coniuncta cum ciuili etiam ad constitutionem reipublicæ, vel membrorum ipsius, aut eo respicientis iuris pertinent, vt mox exemplis hanc rem illustrare est animus, si prius mouerim, esse & eminentiorem rationem, quæ cum his duabus rationibus concurrat, atque conspiret, nonnunquam autem, vt
72 sua eadem cedere cogat, vt est lumen † diuinæ rationis atque sacræ scripturæ, quod discussis paganismi erroribus post scripta multorum Iurisconsultorum affulsit, & cuius beneficio collatis in vnum aliarum rationum virib. nedum viam aperimus, ad illam beatitudinem, de qua iam dudum disputamus, sed etiam animæ salutem in tuto collocamus, *vt ĩ di-*
73 *ximus.* Porro vt res paulo intricatior, exemplis expediri † possit, constat in ele-

in electione Imperatoris & principum, item pontificis & aliorum præsulum, has tres rationes cumulari. Etenim videmus, quod in electione Romani pontificis & imperatoris hæc ipsa iura cõspirent, diuinum, *vt d. cap. solitæ. d. cap. quamuis, & d. cap. omnes.* Naturale, dum naturæ ratio dictat sacrorum summum antistitem esse debere, *cap. peruenit. 11. quæst. 1. cap. in apibus. 7. quæst. 1.* Ciuile *vt cap. licet. de election. & cap. vbi, de elect. in 6. cl. ne Romani, eod. tit.* dum cardinalibus huiusmodi ius defertur, & certa forma electionis præscribitur. Eadem etiam in electione † imperatoris interuenire, animaduertimus, dum & eius potestas diuina auctoritate innititur, *d. cap. solitæ. de maioritat. & obed.* item cap. 19. Iohannis, *non haberes potestatem aduersus me vllam, si tibi datum esset desuper.* item Lucæ 20. *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris,* item Lucæ 2. *Exiit edictum a Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis, l. ad reprimendam. in extrauagant.* quomodo in læsæ maiestatis crimine procedatur, in hæc verba. *Ad reprimendum multorum facinora, qui, ruptis totius debitæ fidelitatis habenis, aduersus Romanum imperium, in cuius tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo armati, conantur nedum humana, verum etiam diuina præcepta, quibus iubetur, quod omnis anima Romanorum principi sit subiecta, sceleratissimis facinoribus & assiduis rebellionibus demoliri.* Quod autem eadem potestas, ex fonte naturalis rationis manet atque proficiscatur arguit, *l. 2. §. nouissime. ff de orig. iur.* quæ decernit per vnum reipub. optime consuli posse, *l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. & d. cap. in apibus.* Ciuilẽ autem rationem in hac eadem electione inde æstimare licet, quod facultas electionis solis septemuiris, Germanicæ nationis principib. delata sit, *cap. venerabilem. de elect.* vt pterea videre licet, in aurea bulla Caroli quarti. Certum quoq; est, † in caussa pietatis ius diuinum, vt *honora patrem tuum, & matrem tuam,* cum naturali ratione, *l. vt patriæ. ff. de iust & iur.* item & ciuili, *vt l. 1. ff. de exseq parent. præstand. Nouel. 115. §. aliud autem capitulum,* concurrere: quo pertinent omnia præcepta decalogi. Porro in testamenti, † confectione ius naturale interuenit, dum domini voluntatem, & illud, quod nunquam redit, arbitrium, tuetur, *leg. omni modo. C. de inoffic. testament. §. per traditionem. Instit. de rerum diuision. & acquir. earum dom.* item & ciuile, *vt l. verbis 120. l. 1. ff. ad leg. Falcid.* quæ quidem illam naturalem rationem, ex morte aliquo modo infirmatam, quod dispositio in tempus minus idoneum conferri videatur, corroborat.

74

75

76

Multa præterea sunt, quæ Iuri ciuili accepto ferri debent: quamuis n. maximi præiudicii ratio, cum de omnibus facultatibus tractetur, naturaliter maiorem solemnitatem requirat, *l. iubemus. C. de testam. & cap. vbi pe-*
77 *riculum de elect. in 6.* tamen id ciuili auctoritati & rationi, † tribuendum est, quod potius septem, quam quinq; aut nouem testium numero defi-
78 nierit; idē in caussa rei iudicatæ euenire videmus. † Iuri n. ciuili & rationi politicæ adscribi debet, quod appellandi facultas tertia demum sententia finiatur, *l. vnica. C. ne liceat tert. prouocare*; Idē in caussa vsucapionis obseruare licet, quam multæ, eæq; naturales rationes commendant, *vt l. alienationis 28. ff. de verb. oblig. l. si sub specie. C. de postul. l. fin. C. de sentent. quæ sin. cert. quant. profer. l. bona fides. ff. depositi. cap. si virgo. 34. quæst. 2. l. 1. ff. de vsucap. Nouell. 111. l. fin. ff. de vsucap. pro suo. l. cum notissimi. C. de præscrip. trig. vel quadrag. ann.* tamen in eo moderationem iuris ciuilis ostendit, quod triennio in mobilibus, & decennio in rebus soli potius, quam citeriori, vel longiori tempore finiatur. Possem id genus exempla etiam infinita recensere, vbi auctoritate constituentium quid introducitur, neque tamen ratio naturalis, aut diuinæ legis occurrit, quæ politicæ rationi repugnet. Præter hæc principia, de quibus dudum disserimus, adhuc aliud, quod excellat & emineat, agnoscimus, nimirum Deum optimum, maximum, motorem vniuersi, omnis boni fontem & parentem, quem merito α. & ω. nominamus, & ad quem, tanquam principium & finem cuncta referenda esse, iuris conditores, christiana religione imbuti, animaduerterunt, cuius rei locuples testimonium præbere potest, *lex prima de concept. digestorum*, quæ Codici *sub titulo. de veteri iure enucleando*, inseritur in verba sequentia: *Deo auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis a cœlesti Maiestate traditū est, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum reipublicæ sustentamus.* Quod euidentius coarguūt verba subiecta; *& ita nostros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutoriū, vt neq; armis confidamus, neq; nostris militib. neq; bellorum ducib. vel nostro ingenio sed omnē spem ad solā referamus summæ prouidentiam Trinitatis.* Ideq; repetitur, *Inst. in proœmio,* quorū vtrāq; viā cū summis vigiliis, summaq; prouidentia, annuente Deo, pfecim⁹, deinde cōstitutione tanta de confirmatione digestorū, §. *nos itaq;*, in hæc verba *Nos itaq; more soluto ad immortalitalitatis respeximus præsidium, & summo numine inuocato Deum auctorē, & totius operis præsidem fieri optauimus.* Et paulo post: *Quod cœlesti fulgore, & sum-*

& summæ Trinitatis fauore confectum est. Rursum in constitutione *dedit nobis.* de confirmatione digestorum: *Nos itaq; more solito manibus ad Deum erectis, eoq;, vt nos complecti dignaretur, inuocato, & rem aggressi sumus, & omnia tandem confecimus.* Quod & ipsum confirmari potest multis sacræ scripturæ auctoritatibus, vt Actorum 17. *In eo enim viuimus, mouemur, & sumus,* & ad Corinth. 11. *Qui operatur omnia in omnibus.* Ioan. cap. 5. *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.* Esaiæ, *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.*